AMANDI · POLANI
A POLANSDORF

PARTITIONES THEOLOGICÆ IVXTA NATURALIS METHODI Leges conformatæ duobus libris, quorum primus est de Fide: alter de bonis Operibus.

Cum INDICE ac TABVLIS perpetuis, quibus partitionum cohærentia clarè ob oculos ponitur.

Editio secunda, priore limatior & auctior.

LONDINI, 0
Per Edm. Bollifantum.
cIↃ IↃ XCI.

SVMMA TOTIVS CHRISTIANISMI est, ea credere quæ Deus in verbo suo præscripsit, & ea facere quæ præcepit. Act. 24. 14. 15. 16. Hoc verò tibi confiteor, quòd secundùm viam illam, quam sectam dicunt, ita colo patrium Deum, credens omnibus quæ in Lege & in Prophetis scripta sunt: Et spem habens in Deum, fore quam & ii ipsi expectant resurrectionem mortuorum, justorum simul & injustorum. In hoc igitur ipse me exerceo, ut conscientiam habeam sine offendiculo apud Deum & apud homines semper.

Harvard College Library
Gift of
Friends of the Library
January 10, 1955

AD ORNATISSIMOS
CONSVLES, SENATORES, ET CIVES REIPVBLICÆ OPPAVIENSIS: PATRONOS, AMICOS & necessarios suos: observantiâ, fide ac pietate perpetuâ colendos:

AMANDI POLANI
A POLANSDORF,

PRAEFATIO.

Tanta est VERBI DEI *præstãtia, tanta utilitas, ut ei satis celebrandæ nulla Angelica, nedum humana eloquentiæ par esse possit. Id abunde testatur Psalmus centesimus decimus nonus, in quo regius vates David miro artificio & ardore in doctrinæ cœlestis laudibus deprædicandis secum ipse certat: nec dubitat asseverare, eam doctrinam quibusvis auri & argenti cumulis infinitè præstare. Petrus verò confirmat, in illius arcana Angelos introspicere desiderare: ita ut nul-*

lum sit dubium quin administratorii illi Spiritus sacros cœtus nobiscum frequẽtent, & Ecclesia illis theatrum sit, in quo variam & multiplicem Dei sapientiam mirentur. Illustre autem est excellentiæ verbi Dei documentum, quòd illius autorem Deum ipsum esse scimus. Eiúsque rei argumenta sunt duplicia, interna & externa. Internum argumentum unicum est, idque solidissimum, nempe testimonium Spiritus Sancti in cordibus credentium. Idem enim Spiritus Sanctus, cujus inspiratione verbum Dei conscriptum est, nobis in cordibus nostris testificatur, confirmat & obsignat, hoc verbum esse verè verbum Dei. Atque hoc testimonium solum conscientiis nostris satisfacit, omnémque dubitationem excutit. Etsi enim externis testimoniis convicti negare non possumus, hoc verbum esse verbum Dei: tamen tum demum certam ac salutarem πληροφορίαν assequimur, cùm idem suo testimonio Spiritus Sanctus in cordibus nostris sancit. Externa autem argumenta, quæ verbum hoc verè à Deo esse probant, sunt: cœlestis ejus majestas, partium omnium inter se consensio, admiratio in quam nos rapit, tot ac tam insignia miracula, mirabile complementum prophetiarum, consensus Ecclesiæ, sanguis martyrum, perfecta doctrina in eo tradita de liberatione nostri à peccato & morte æterna, integra Lex Dei in eo proposita, antiquitas, præstantia ejus præ philosophia & aliis doctrinis, odium Satanæ & malorum, conservatio & propagatio illius, pœnæ hostium & contemptorum ejus, denique sanctitas & pietas eorum, per quos primò est annuntiatum. Annuntiatum est autem per

Prophetas,

Prophetas, filium Dei incarnatum & Apostolos: patefactum verò servis Dei partim per oracula, partim per visiones divinas. Oracula fuerunt documenta ipsius Dei ore & voce servis Dei pronuntiata & proposita: idque & per Christum, & per Spiritum Sanctum. Christus enim & ante incarnationem patribus & prophetis est locutus, & in carne manifestatus arcanam voluntatem Patris cœlestis revelavit. Spiritus etiam Sanctus tum per Prophetas est locutus, tum Apostolos in omnem veritatem deduxit. At visiones divinæ, imagines quædam fuerunt servis Dei oblatæ, quibus de voluntate Dei & rebus necessariis edocebantur, aliàs vigilantes, ut Esaias, cap. 6. vers. 1. Ezechiel, cap. 37. 1. Petrus, Act. 10. 11. aliàs dormientes sensibus externis sopitis, per somnia ὀνείρατα, *hoc est, divinitus immissa. Somniorum autem divinitus immissorum censura seu dijudicatio duo requirit: primum est, ut quædam imagines rerum verbo Dei congruentes (hoc est, non turpes & obscœnæ) quæ demonstrantur, phantasiam, imaginationémve informent. Deinde, ut accedat judicium, quo intelligatur quid imagines illæ portendant. Quòd si fines & effecta verbi Dei ante oculos nobis ponamus, tantam esse ejus excellentiam perspiciemus, ut illud omnibus philosophicis disciplinis præclaro merito longè anteferri debere fateri cogamur. Servit nobis inter tot religionum & sectarum confusiones ad certò ostendendam & communiendam viam, quâ ex erroribus interitúque evadamus, & ad veram cognoscendi colendique Deum rationem ac sempiternam salutem perveniamus. Servit nostræ*

institutioni, dogmatum verorum confirmationi, falsorum refutationi: servit exhortationi, consolationi, reprehensioni, monitioni: servit Ecclesiarũ reformationi & gubernationi, ut quod sit vnica regula, unica norma, unicus canon fidei & vitæ nostræ.

Si effecta ejus spectes, veram cognitionem Dei parit, electos regenerat, cum Christo arctissimè conjungit, ut in electis sancta Trinitas habitet efficit, veram conversionem & fidem gignit, est solatio piis in erumnis & rebus adversis, delectationi in secundis, in cruce, tentationibus, persecutionibus & martyriis sufferendis, morte denique adeunda veritatis nomine animum addit, cibum & res alias sanctificat, denique salutem æternam credentibus affert. Ex his omnibus liquet, quanta sit verbi divini dignitas, quanta eminentia, quanta sublimitas, quantum denique emolumentum. Quæ causa fuit, Viri ornatissimi Consules, Senatores, ac cives patriæ meæ dulcissimæ, cur cùm DOMINUS, *in cujus potestate sunt omnium corda, pro sua ingenti erga me misericordia & benevolentia Spiritu Sancto suo me ab ineunte ætate ad Theologiæ studiũ traxerit, nihil magis in votis habuerim, quàm ut Ecclesiæ Christi docendo verbum Dei maximè in patria, cui me præ cæteris obstrictum esse agnosco, aliquando servirem. Quod desiderium, tantum abest ut imminutum sit, ut magis etiam atq; magis augeri sentiam. Ex animo autem clementissimum Patrem cœlestem precor, propter Iesum Christum æternum Mediatorem nostrum, ut, si ita sanctissimæ ejus voluntati visum est, voti mei me compotem faciat. Agnosco etiam & celebro in eo singularem*

Dei

Dei erga me bonitatem & miſericordiam, quòd parentes eos mihi dederit, qui non ſolùm ad veræ pietatis ſtudium quotidianis exhortationibus me inflammaverunt, verùm etiam exemplo præiverunt. Ac patrem quidem meum HENRICUM POLANUM *veſtræ reip. fideliſſimum Syndicum me puero Deus ex hac vita in cœleſtem evocavit, cùm menſtruo ſpacio ante Valerius frater meus ex Francofurtenſi Academia reverſus fatis conceſſiſſet: & mater mea* MARTHA *Cominiorum familiâ oriunda poſt partum graviſſimo morbo teneretur. Fuit ille annus familiæ noſtræ luctuoſus: nam acceſſit etiam obitus duarum ſororum meaṝ,* CATHARINÆ *&* MARINÆ *& affinis mei* IOHANNIS *Kiacii viri ornatiſſimi, qui ſororem meam* MARTHAM *uxorem habuerat. Sed miſertus eſt noſtri* DOMINUS *& nos afflictos conſolatus, dum* ZACHÆUM GOLTSCHIUM *virum propter multas egregias dotes clariſſimum, matri meæ deſertæ virum, & mihi fratribúſque meis & ſororibus orphanis verè patrem noſtri amantiſſimum dedit: qui* GEORGII *fratris mei & mea ſtudia ſibi maximæ curæ eſſe paſſus eſt. Ac illum quidem primò Vienuam Auſtriæ, deinde Tubingam ſtudiorum causâ ablegavit, unde Heidelbergam, poſt in Italiam ſe contulit: me verò in patria à clariſſimo viro* IOHANNE KÜCHLERO, *qui ſcholæ patriæ meæ circiter triginta annos præfuit, diligentiſſimè educatum, in celebre* VVRATISLAVIENTIUM *gymnaſium miſit, in quo ſex annos ſummâ fide inſtitutus ſum: poſt Tubingam me contuli: inde ſingula-*

ri providentiâ misericordis Dei Basileam sum delatus, ubi sinceriſſimum & fidiſſimum ſtudii Theologici ducem Reverendum & excellentiſſimum virum D. Iohannem Iacobum Grynæum mihi dedit. Actum, ne ſtudium meum incertum ac vagum eſſet, cepi illud beneficio artis Logicæ certis limitibus & finibus circumſcribere, & tum in prælectionibus & diſputationibus, tùm præcipuè in privata Scripturæ ſacræ meditatione definitiones & diſtributiones, in quibus maximum ſolidæ eruditionis & ſcientiæ momentum ſitum eſt, obſervare, excerpere, colligere & ex præſcripto legum Methodi in ordinem redigere. Eandem orbitam etiam poſt verſavi, cùm D. Grynæo ab Illuſtriſſimo Principe & fortiſſimo Heroe D. IOHANNE CASIMIRO *Electoralis Palatinatus Adminiſtratore, ad ſcholæ Theologicæ in illuſtri Academia Heidelbergenſi reformationem vocato, Genevam me contuliſſem, ubi* DOMINUS CHRISTUS *clementiſſimè mihi conceſſit, ut Reverendi ſenis verèque ſinceri Theologi D.* THEODORI BEZAE *accuratiſſimis Theologicis prælectionibus & acutiſſimis diſputationibus cum maximo meo commodo frui poſſem. Ex eo tempore non deſtiti obſervare & colligere definitiones & diſtributiones, (nam hoc ingenuè mihi fatendum eſt, me plurimas definitiones & diſtributiones à Præceptoribus meis, in primis Luthero, Philippo Melanthone, Calvino, Martyre, Beza, Zacharia Vrſino, Ioh. Iacobo Grynæo, Georgio Sohnio traditas retinere) quaſdam etiam ipſe pro menſura gratiæ à Deo mihi conceſſæ meditari & facere, & me-*

thodo

thodo certa disponere. Cujus συναγωγὴν & delineationem primam D. Iohan. Iacobus Grynæus, cui me plurimum debere fateor, & cujus hoc tempore hospitio gratissimo utor & cõvictu jucundissimo fruor, dignam judicavit ante sesquiannũ, quæ lucem aspiceret, Gemmulæ Partitionũ Theologicarum nomine. Iam vero easdem Partitiones multis in locis limatas, plurimis auctas denuò in publico apparere volui, idque sub vestro nomine justis & idoneis de causis. Primùm, quia me patriæ meæ longè amantissimæ inprimis devinctum esse sum persuasus, cui verè ex animo bene volo, cujus commoda quantum in me est provehere cupio, cujus salus adeo mihi curæ est, ut si labores omnes, opes omnes, vitam denique ipsius juvandæ causâ impendere debeam, libentissimè id sim facturus. Deinde, quia id me vobis iam pridem debere scio, ut à quibus magnis sum affectus meritis, erga illos aliquo saltem modo grati animi & officiosæ voluntatis significationem ostendam. Præterea, quia etiamnum meam familiam summâ benevolentiâ cõplectimini. Quemadmodum enim patri meo optimæ & benedictæ memoriæ omnia reip. vestræ acta & consilia credidistis: ita nunc etiam viro præstantissimo & suavissimo fratri meo HENRICO POLANO eandem provinciam tradidistis & commendastis: ut nihil jam de cæteris meis consanguineis, tum de affinibus etiam dicam, quos omnes singulari favore prosequimini. Insuper publico hoc testimonio apertè declarare volui consensum meum vobiscum in religione Euangelica, quam misericors Deus etiam

am in patria mea hactenus vigere voluit, explosa, extrusa ac profligata Antichristi Romani idololatria. Ac quanquam patria mea multa adversa, multas inimicitias, multas oppugnationes, idque per multos annos, sustinuerit: tamen divinam benedictionem semper in eo sensit, ut veritatem Euangelii retineret & conservaret. Nam religio & veritas minimè commovetur, nec se patitur de suo loco deturbari. Quod superest, vos viri ornatiss. Consules, Senatores ac cives patriæ meæ charissimæ, ut has Partitiones Theologicas benignè humanitérque accipiatis: meque & meos in posterum etiam favore vestro complecti dignemini, reverenter, officiosè & amanter à vobis peto. DOMINUS DEUS *noster pro ineffabili suâ misericordiâ tribuat vobis longa ac felicia vitæ spacia, & velit jubeátq; apud vos statum Ecclesiæ, Scholæ, Politiæ & Oeconomiæ esse bonum, felicem & pacatum, propter unicum nostrum Mediatorem Christum, Amen. Perscriptum Basileæ, Anno epochæ Christianæ*

1590. *die* 19.

Augusti.

TITVLI LOCORVM COMMuNIUM IN HIS PARTITIONIBUS explicatorum.

1. *De verbo Dei, in Præfatione & pag.* 1. 107.
2. *De Deo.* 1.
3. *De attributis Dei.* 2.
4. *De personis Deitatis seu S. Trinitate.* 8.
5. *De operibus Dei.* 10.
6. *De decreto Dei, ubi de Prædestinationis decreto.* 11.
7. *De creatione, ubi de imagine Dei.* 12.
8. *De angelis bonis & malis.* 13. 14.
9. *De homine, ejus statu & arbitrio.* 15. 16. 17.
10. *De providentia Dei.* 18.
11. *De bono.* 18.
12. *De malo.* 19.
13. *De peccato.* 19. *& seq.*
14. *De actione Dei.* 23.
15. *De instrumentis Dei.* 23.
16. *De permissione divina.* 25.
17. *De conservatione rerum.* 27.
18. *De Prædestinatione.* 28.
19. *De patefactione Dei naturali, ubi de lege naturæ.* 28.
20. *De afflictionibus & cruce.* 29. *& seq.*
21. *De divino motu arcano voluntatum.* 30.
22. *De divina gubernatione omnium actionum humanarum.* 31.
23. *De patefactione voluntatis Dei supernaturali.* 32.

24. *De*

24. De lege Dei, ubi de Decalogo. 32. & seq.
25. De lege Dei ceremoniali & forensi. 38.
26. De Euangelio. 39.
27. De Christo, ejus persona, statu duplici, incarnatione, conceptione de Spiritu Sancto, unione personali, majestate humanæ naturæ Christi, communicatione idiomatum, nativitate, obedientia, passione, morte, sepultura, descensu ad inferos, exaltatione, resurrectione ex mortuis, ascensione in cœlum, sessione ad dexteram Dei Patris. 39. & seq.
28. De Christi seu Mediatoris officio. 48. & seq.
29. De prædictione futurorum. 50.
30. De promissionibus divinis. 51.
31. De comminationibus divinis. 52.
32. De vocatione divina 53.
33. De fœdere divino. 53.
34. De beneficiis per Christum nobis partis. 55.
35. De communione cum Christo. 56.
36. De justificatione, ubi de remissione peccatorum. 57.
37. De regeneratione seu sanctificatione, ubi de resipiscentia. 57. & seq.
38. De adoptione. 61.
39. De libertate Filiorum Dei, ubi de libertate Christiana, deque adiaphoris. 61. & seq.
40. De consolatione in cruce & in morte. 64. & seq.
41. De signis divinis, ubi de miraculis & de Sacramentis. 70. & seqq.
42. De Baptismo. 80.
43. De

43. *De Cœna Domini.* 82.
44. *De operibus Dei post hanc vitam, ubi de resurrectione universali & judicio ultimo & glorificatione electorum.* 90. *& seq.*
45. *De Ecclesia vera, ubi de religione vera.* 93. *& sequentibus.*
46. *De ministris Ecclesiæ.* 95.
47. *De potestate Ecclesiastica, ubi de potestate ordinis & jurisdictionis, de legitima vocatione ministrorum, de potestate clavium, de disciplina Ecclesiastica, de excommunicatione.* 97. *& seq.*
48. *De consiliis.* 101. *& seq.*
49. *De Ecclesia falsa, ubi de religione falsa, de hostibus Christi & ejus regni, de Iudæis, eorúmq; rejectione & restitutione, de Mahumetanis, hæreticis, Antichristo, Antichristi Ecclesia & Pseudochristis.* 103. *& sequentibus.*

LIB. II.

50. *De bonis Operibus. pag.* 107.
51. *De dissentaneis & adjunctis bonorum operum, ubi de timore Dei, constantia, prudentia, zelo pro gloria Dei.* 107. *& seq.*
52. *De* CULTU DEI *interno & externo, ejusque dissentaneis, ubi de fide viva.* 112. *& seq.*
53. *De invocatione, ubi de precatione, oratione Dominica, de juramento.* 117. *& seq.*
54. *De gratiarum actione, & confessione veritatis.* 126.

55. *De*

55. *De ritibus seu ceremoniis Ecclesiasticis, ubi de pio jejunio, voto, sacrificiis veteris testamenti & festis.* 128. *& seq.*

56. *De* VIRTUTE, *ubi de cupiditate sapientiæ, fortitudine, temperantia, castitate, liberalitate, justitia, totóque choro virtutum.* 134. *& seqq.*

57. *De justitia Oeconomica, ubi de conjugio, & de divortio.* 146. *& seq.*

58. *De justitia publica, ubi de magistratu, legibus, pace & bello.* 162. *& seq.*

AMANDI POLANI
A POLANSDORF

PARTITIONVM THEOLOGICARVM IVXTA NATVRALIS Methodi Leges conformatarum,

LIBER PRIMVS.
DE FIDE.

VERBVM DEI, est doctrina dictante Spiritu Sancto per Prophetas & Apostolos cõscripta, perfectè tradens rationem consequendi vitam æternam. 2.Pet.1,21.Ephes. 2,20. Ioha.5,24,39. & 20,29, 31. 1.Cor.1,21. 2.Tim.1,10. & 2,5. Tit.1,1,2. Rom.1,16. Psal.32,1.& 1,1. & 119,1.& sequ. Matt.5,3.sequ. Iacob.1,21,22.

Verbi Dei partes duæ sunt: prima de Fide, altera de bonis Operibus. Actor.24,14,15,16. Rom.1,16. Hab.2,4. Iacob.2,20.Phil.1,27.Tit.3,8.Mar.1,15.1.Tim.1,18,19.

Prima pars nempe de Fide, docet quid sit credendum ad salutem. *De FIDE.*

Idque tum de Deo, tum de Ecclesia.

DEUS, est Spiritus æternus, infinitus, omnipotens atque optimus.Ioh 4.24. Psal.9,2.& 92,8.& 102,13.Esai. 63,16. Dan.6,26. Heb.1,12.Apocal 4,8. & 11,17. & 16,5. 1.Reg.8,27. 2.Paralip.6,18.Iob.11,8.Ier.23,23.Psal.139, 7,10. Esai.6,3. Gen.17,1.& 35,11. Exod.6,3.Deuter.7,8. & 10,17.Num.11,23. Esai.40,12. Matth.19,26.Luc.1,37. Apoc.1,8.Matth.19,17. *De Deo.*

Cognitionis

Cognitionis Dei ſeu Fidei de Deo duæ ſunt partes, prima de eſſentia Dei, ſecunda de operibus ipſius.

Eſſentia Dei, eſt natura Dei, per quam Deus revera eſt & ſubſiſtit.

Eáque una eſt: ideo etiam Deus unus eſt.

Cognitionis Eſſentiæ Dei duæ ſunt partes, prima de attributis Dei, ſecunda de diſtinctione perſonarum.

De attributis Dei.

Attributa Dei, ſunt quę Deo ad ipſius eſſentiam magis nobis declarandam attribuuntur.

Attributa divina vel ſimplicia ſunt, vel comparata.

Attributa divina ſimplicia, ſunt proprietates Dei eſſentiales, quæ ipſi citra comparationem competunt.

Eorum quædam ſui creatam ſimilitudinem in creaturis admittunt: quædam non.

Prioris generis ſunt, beatitudo, immortalitas, intelligentia, præſcientia, memoria, voluntas, bonitas, ſanctitas, juſtitia, clementia, longanimitas, patientia, conſtantia, fortitudo, veracitas, fidelitas, &c.

Beatitudo Dei, eſt per quam ab æterno ſe ipſo contentus fuit, nullius rei indigens. 1. Tim. 1, 11. & 6, 15.

Intelligentia Dei, eſt per quam omnia penitiſſimè intelligit. aliàs ſapientia Dei.

Immortalitas Dei, eſt per quam nunquam moritur. 1. Timoth. 1, 17. & 6, 16.

Præſcientia Dei, eſt omnium rerum futurarum perfectiſſima præcognitio.

Memoria Dei, eſt per quam omnium exactiſſimè meminit. Pſal. 25, 6, 7. Eſa. 49, 16.

De voluntate Dei.

Voluntas Dei, eſt per quam Deus omnia vult. Pſal. 115, 3. Rom. 9, 10. Epheſ. 1, 5. 9, 11.

Eáque unica & ſimpliciſſima eſt, ſi Deum ipſum ſpectes: at quò ad homines quibus ea revelatur vel occultatur, eſt duplex: patefacta vel occulta.

Illam Scholaſtici vocant voluntatem ſigni: hanc verò voluntatem beneplaciti.

Voluntas occulta etiam ſuo denique tempore à Deo definito, patefit & manifeſtatur.

Voluntas Dei eſt liberrima, unde & liberum arbitrium Dei dicitur.

Liberum

Liberum arbitrium Dei, est ipsamet essentia Dei ex seipsa immediatè perfectissimèq; omnia intelligens, & liberrimè quidem, sed immutabiliter ac necessariò volens bonum tantùm, & nolens malum tantùm, nec ab alio priore principio extra se pendens. Augustinus de Civit. Dei, lib. 22. cap. 30. Itaque hoc solum αὐτεξούσιον propriè dici potest.

Bonitas Dei, est per quam bonorum omnium author existit.

Eámque vel generatim erga omnes creaturas exercet, vel peculiariter erga suos electos.

Illa beneficentia dicitur, hæc misericordia.

Beneficentia Dei, est per quam dona sua dat creaturis omnibus. Matth. 5, 44, 45. Act. 14, 17.

Misericordia Dei, est per quam Deus benefacit suis electis, quamvis nil nisi malum de ipso meritis. Esai. 49, 10, 13. Ephes. 2, 3, 4. Psal. 145, 9.

Sanctitas Dei, est per quam ab omni imputitate & immunditie summè abhorret. Esai. 6, 3. Apocal. 4, 8. Ier. 3, 12.

Iustitia Dei, est per quam in omnibus justè agit. Psal. 116, 11. Rom. 3, 4.

Clementia Dei, est per quam iram suam quantumvis justissimam reprimit ut nobis parcat. Exod. 34, 5.

Longanimitas Dei, est per quam iram suam & pœnas adversus peccatores diu differt, ut ad pœnitentiam eos invitet. Exod. 34, 5.

Patientia Dei, est per quam diu patienter suffert peccata hominum, ut eos ad resipiscentiam perducat. Esai. 48, 9.

Constantia Dei, est per quam eorum quæ dixit est servantissimus, Exod. 34, 5.

Fortitudo Dei, est per quam potens est efficere omnia, quæ vult. 1. Sam. 2, 2. 2. Sam. 23, 13. Esai. 28, 2. & 49, 26. Ier. 50, 34. Apoc. 18, 8.

Veracitas Dei, est per quam omnia uti sunt loquitur & agit, ab omni mendacio alieniissimus. Rom. 3, 4.

Fidelitas Dei, est per quam fidelissimè præstat suis quæ promisit. Esa. 49, 7. Exod. 34, 6.

Hactenus fuerunt attributa Dei simplicia prioris generis: sequuntur posterioris.

Attributa Dei simplicia posterioris generis sunt, quæ sui creatam similitudinem non admittunt.

Cujusmodi sunt, æternitas, infinitas, ubiquitas, omnipotentia, omniscientia.

Æternitas, est essentialis proprietas Dei, per quam omni principio & fine carere intelligitur. Esa. 43,13. Psa. 90,2. & 92,8.

Infinitas, est essentialis Dei proprietas, per quam essentia divina nullis finibus comprehendi posse intelligitur. 1. Reg 8,27. 2. Paral. 2,6. & 6,18.

Dicitur etiam immensitas.

Ubiquitas, est essentialis Dei proprietas, per quam ubique omnibus rebus præsens existit. Ierem. 23,23,24. Psal. 139,7,10. Esa. 63. & 66,1.

Dicitur etiam omnipræsentia.

Ubiquitatis causa est infinitas.

Quod enim est ubique, ideo est ubique, quia infinitum. Nec quicquam ubique est aut dici potest esse, nisi sit infinitum.

Solius autem deitatis hoc est proprium, ut tota sit ubique & in singulis locis.

OMNIPOTENTIA, est essentialis Dei proprietas, per quam omnia quæcunque vult efficere potest, vult autem ea quæ naturæ & verbo ipsius sunt consentanea. Luc. 1,37. & 18,27.

OMNISCIENTIA, est essentialis Dei proprietas, per quam omnia omnino uno actu perfectissimè cognoscit. Heb. 4,13.

Ejus meditatio duplicem usum habet, alter ad exhortationem, alter ad consolationem nostram pertinet.

Ad exhortationem nobis servit, quia nos extimulat ad sincerum timorem Dei, ut in omni loco fugiamus omnem turpitudinem, omniáque peccata, cùm oculis Dei omnia etiam arcana sint subjecta, nihílque eos latêre possit: cúmque Deus omnia secreta suo tempore, sit in apertam lucem producturus.

Ad

Ad consolationem servit nobis, quia nostros animos erigit in omnibus ęrumnis, cum eas Deus sciat, nec eum fugere possint.

Sic fuerunt attributa Dei simplicia: sequuntur comparata.

Attributa divina comparata, sunt quæ propriè quidem sunt rerum creatarum: at Deo per metaphoram seu similitudinem tribuuntur. Scriptura enim sæpe de Deo loquitur, secundùm captum hominis.

Eorum quædam ab homine sumuntur, quædam ab alijs creaturis.

Quæ ab homine sumuntur, dicuntur Deo tribui per ἀνθρωποπάθειαν. Ἀνθρωποπαθεια, est metaphora, quâ ea quæ hominum sunt, Deo per similitudinem tribuuntur. *De anthropopathia.*

Cujusmodi sunt, hominis partes, membra, sensus, affectus & adjuncta.

Anima, quæ hominis pars est, tribuitur Deo, Iere. 5, 29. & 9, 9. Amos 6, 8. Ubi per animam vita Dei intelligitur, hoc est, ipsamet Dei essentia.

Per membra verò corporea, sensus, affectus & adjuncta, quæ Deo tribuuntur, significatur in Deo vis, nobis incomprehensibili modo, efficiens opera, quorum sunt umbra quædam, actiones istæ, quas homines membrorum, sensuum, affectuum & adjunctorum suorum ministerio perficiunt.

Membra corporis Deo tribuuntur hæc: caput, facies, oculus, pupilla, os, auris, nasus, nares, manus, brachium, dextera, digitus, cor, uterus, pedes.

Per caput Dei intelligitur ipse Deus, tanquam is, ad cujus gloriam referenda sunt omnia, quæ illi subjecta sunt in Christo. 1. Cor. 11, 3. *Deus est caput Christi.*

Per faciem seu vultum, nunc præsentia, nunc favor & benignitas Dei. Psalm. 114, 7. & 27, 8, 9. & 31, 17. nunc ira. Psal. 34, 17.

Per oculos, benevolentia & favor. Psal. 34, 16. & 17, 8. Vel providentia Dei: vel quod Deus omnia videat.

Per pupillam, id quod est charissimum. Deut. 32, 10. Psal. 17, 8. Zach. 2, 8.

Per os, vel decretum providentiæ Dei. Matth. 4,4. vel mandatum seu revelatio verbi. Iere. 9. 12.

Per aures, vel promtitudo & facilitas in exaudiendis precibus nostris intelligitur. Psal. 31,3. & 34,16. vel quòd Deus omnia audiat.

Per nasum, furor accensus. Iere. 39,37.

Per nares, quibus odoratus dicitur, intelligitur acceptatio, qua sacrificia grata & accepta habet, Genes. 8,21.

Per manum, potentia, protectio, liberalitas, artificium, & quæ his confinia sunt. Iob. 19,21. & 10,8. Psal. 31, 6. & 8,7.

Per brachium, potentia, robur & fortitudo. Genes. 29, 24. Exod. 6,6.

Per dexteram, potestas vel imperium Dei, Symb. Apost.

Per digitum, virtus seu efficacia, Exod. 8,19. vel artificium. Exod. 31,18.

Per cor intelligitur vel ipsa Dei essentia viva, nam cor in animali principium vitæ censetur. Genes. 6,6. Vel decretum Dei, quia sacra Scriptura facit cor sedem animæ, cujus est cogitare, decernere, &c. Ierem. 19,5. Vel beneplacitum Dei, ut cùm David dicitur fuisse vir secundum cor Dei.

Per uterum, generatio. Psal. 110,3.

Per pedes, robur vel potestas. Psal. 110,1. vel præsentia Dei.

Atque hæc membra tribuuntur Deo in Scriptura: sequuntur sensus.

Per sensus, qui Deo tribuuntur, intelligitur providentia Dei. Psal. 14,2.

Sensus Deo tribuuntur vel interni vel externi.

Interni, ut memoria seu reminiscentia. Esa. 49, 16. 1. Sam. 15,2.

Cui opponitur oblivio. Esa. 49,14.

Sensus externi Deo tributi sunt, visus. Genes. 1,4. Psalm. 15,2.

Auditus. Psal. 5,2. & 6,8,9.

Odoratus. Gen. 8,21.

Atque

Atque hi ſenſus tribuuntur Deo: ſequuntur affectus.

Affectus Deo tribuuntur, ut amor, gratia ſeu miſericordia, ira, furor, odium, pœnitentia.

Amor Dei, eſt quo impulſus creaturis dona ſua largitur. Malac. 1,2,3. Ioh. 2. Tit. 3. 4. Epheſ. 2,4.

Gratia Dei, ſeu miſericordia, eſt favor, benevolentia, clementia Dei, per quam electis ſuis, gratis ſine ullo ipſorum merito donat omnia bona animæ & corporis, inprimis vitam æternam, Rom. 11,6. & 12,25. *De gratia Dei.*

Gratia Dei duplex à Scholaſticis conſtituitur, gratia gratum faciens, & gratia gratis data. Gratiam gratum facientem Scholaſtici ferè interpretantur dona & qualitates in animam infuſas: at multò rectiùs pro Dei favore & miſericordia ſumitur, quæ non in nobis, ſed in ipſo Deo reſidet.

Gratia gratis data, eſt quodvis donum quod ex Dei amore & liberalitate proficiſcitur & nobis confertur. A Paulo appellatur donum per gratiam. Ro. 5,15. A Scholaſticis, gratia infuſa.

Complacentia Dei, eſt per quam ſibi bona omnia placere ſinit. Gen. 1. *Vidit Deus quæcunque fecerat, & ecce omnia erant valde bona.* Sic placent Deo opera per fidem facta.

Ira Dei, ſunt pœnæ quibus peccata punit. Rom. 1, 18. Eáque etiam vindicta Dei appellatur. Eſa. 47,3. Pſa. 2,5.

Furor Dei eſt vehemens & ingens ira Dei graviſſimis pœnis declarata. Pſal. 2,5,12.

Odium Dei, eſt abominatio, averſatio & rejectio malorum. Malach. 1,2,3. Rom. 9,13.

Pœnitentia Dei, non eſt conſilij & decreti divini, quod eſt immutabile. 1. Sam. 15,29. ſed operum Dei mutatio. Gen. 6,6. 1. Sam. 15. 11. Iere. 18. 8. *De pœnitentia Dei.*

Ejus cauſæ ſunt vel peccata, vel reſipiſcentia hominũ.

Attamen hujuſmodi mutatio à Deo ab æterno eſt decreta. Nam utrumque Deus decrevit, & facere aliquod opus, & illud rurſus mutare propter peccata vel reſipiſcentiam hominum. Ea mutatio operis vocatur pœnitentia Dei.

Atque hi etiam ſunt affectus, qui Deo tribuuntur: ſequuntur adjuncta.

Adjuncta hominis Deo tributa ſunt, ſedere in throno, videre. Pſal. 2. ſurgere, aſcendere, deſcendere, veſtis. Pſal. 104, 2. vocatur agricola. Ioh. 15, 1.

Atque hæc attributa ſumuntur ab homine: ſequuntur reliqua, quæ tum communia ſunt, tum ab aliis creaturis ſumuntur.

Qualia ſunt locus, tempus, aſcendere, deſcendere.

Tribuuntur Deo etiam alæ, per quas intelligitur protectio & defenſio Deut. 32, 10. Pſal. 17, 8. Pſal. 91, 4.

Umbra. Pſal. 91, 1. per quam intelligitur protectio. Quemadmodum enim umbra protegit à radiis & æſtu Solis: ita Deus protegit à periculis.

Sic appellatur Deus variis nominibus per metaphoram.

Turris. Pſal. 91, 2. Quemadmodum enim in turribus altis & munitis tuti ſumus ab hoſte: ita Deus nos collocat in tuto.

Scutum, clypeus. Pſal. 3, 4.

Ignis conſumens. Deut. 4, 24. & 9, 3. Hebr. 12, 29.

Rupes. Pſal. 71.

Robuſtum habitaculum. Pſal. 71, 3.

Munitio. Pſal. 71, 3.

Hactenus de attributis Dei: ſequitur de perſonis Deitatis.

De perſonis Deitatis.

Perſona Deitatis, eſt ſubſiſtens in Deitate, proprietatibus ſuis incommunicabile.

Perſonæ Deitatis tres ſunt: Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Matt. 3, 16. & 28, 19. 1. Ioh. 5, 7. Epheſ. 2, 18. Gen. 1, 26. & 18, 2. Exod. 3, 6. & 15, 16. Pſal. 33, 6. Eſa. 6, 3.

Eæ ſunt coæternæ & æquales, unius ejuſdémq; ſimplicis eſſentiæ, incommunicabili proprietate invicem diſtinctæ. Eæque inter ſe non eſſentialiter, quia una eſt earum eſſentia, ſed tamen realiter diſtinguuntur: ab eſſentia verò Dei non re, ſed ratione ſeu relatione tantùm differunt.

Pater, eſt prima perſona Deitatis, quæ Filium ab æterno

æterno genuit. Psal.2,7. 2.Cor.1,3.

Filius, est secunda persona Deitatis, quæ à Patre, æterna totius essentiæ communicatione est genita. Ioh.1, 14,18,34.&3,16.Matt.3,17. 2.Cor.1,19.Hosæ.11,3.Luc. 1.31. Rom.1,4.

De generatione divina.

Essentia divina nec gignit nec gignitur: quia id quod gignit, reipsa ab eo distinguitur quod gignitur: essentia autem divina cùm unica sit & simplicissima, non potest à seipsa distingui.

Filius est genitus ex Patris essentia, & habet totam Patris essentiam non profluxione nec decisione, nec propagatione (nam essentia Filii à Patris essentia minimè profluxit, nec ab ea propagata vel decisa est) sed communicatione. Ac Filius non est quidem αὐτόθεος, id est, ex seipso Filius, quia est Patris Filius: sed est tamen αὐτόθεος, hoc est, ex seipso Deus, hoc est, illa essentia quæ est in Filio, non est ab alia essentia, sed à seipsa, cùm una sit eadémque Patris Filiique essentia. Patris essentia est à seipsa omnisq; principii expers: At Filii essentia est Patris essentia. Nam ea Deitas, quâ Filius Deus est, hæc ipsa est, quâ Pater Deus est: ergo Filii essentia est à seipsa, omnisq; principii expers. Christus igitur est Deus ex sese. Nisi enim ex sese Deus est, omnino Deus esse non potest. Nam ut Deus sit, id Deo ex sese insitum est. Deus esse non potest, cujus οὐσία non sit à seipsa.

Est verò aliud gigni essentiam, aliud ex essentia. Essentia non gignitur ex essentia, essentia est ἀγέννητος: Ideo etiam Filius, quà Deus, est ἀγέννητος. Sed Filius ex Patris essentia est genitus. Quare Christus, quâ Deus est, à seipso est: quâ Filius, ex Patre est.

Spiritus Sanctus, est tertia persona Deitatis, quæ à Patre & Filio procedit. Ioh.15,25,26.& 20,22. Rom.8,9. Esai.6,8,9. Actor.28,25,26. & 5,3,4. 1.Cor.3,6.& 19,20. 2.Cor.6,16.

Proinde Deus unus est essentia. Exod.3,14. Deut.4. 35.& 6,4,& 7,9. & 10,17. & 32,39. 1.Cor.12,6. Gal.3,20. Ephes.4,6. 1.Tim.2,5. at trinus in personis, unde veneranda à nobis colitur Trinitas seu Trinunitas. Genes.1, 26.& 18,2. 1.Ioh.5,7. Ephes.2,18. Rom.9,5. 1.Tim.3,16. Actor.5,3,4.

Hactenus fuit de essentia Dei: sequitur de operibus ipsius.

De operibus Dei.

Opera Dei, sunt quæ Deus facit propter suam gloriam. Psal.8,1. & 19,1. & 104,1. Proverb.16,4. Esai.48,9. Rom.1,20,21.

Atque ex consideratione operum Dei, tribuuntur Deo varia nomina in Scriptura.

Præterea ea opera sunt totius Trinitatis indivisa: sed servata personali proprietate & distinctione atque ordine personarum naturali in agendo. Ut enim Filius est à Patre, Spiritus Sanctus à Patre & Filio: ita Pater agit immediatè per Filium: & Pater & Filius per Spiritum Sanctum in eodem opere efficiendo. Pater enim est efficax, sed per Filium & Spiritum Sanctum. Ioh.5,19.

Pater agit per Filium, non tanquam per instrumentum aut administrum operationis.

Opera Dei vel beneficia sunt vel judicia.

Beneficia Dei, sunt opera quę Deus præstat ut nobis benefaciat.

Beneficia Dei vel spiritualia sunt vel corporalia.

Beneficia spiritualia, sunt quæ ad animam pertinent, seu ad vitam spiritualem.

Beneficia corporalia, sunt quæ ad corporalem vitam pertinent.

Hæc generaliter de beneficiis Dei: sequitur de judiciis.

Iudicia Dei, sunt opera quibus afflictiones justè imponit hominibus.

Rursus opera Dei, vel æterna sunt, vel definiti temporis.

Æterna opera Dei, sunt quæ ab æterno ante jacta mundi fundamenta facta sunt.

Opera definiti temporis, sunt opera quæ destinato tempore geruntur.

Hactenus fuerunt adjuncta operum Dei: sequuntur genera.

Opera Dei sunt duo: Decretum Dei & executio decreti Dei.

Decretum

Decretum Dei, eſt opus Dei æternum & immutabile, quo omnia quæ voluit facere & permittere fieri, omnésque circumſtantias omnium in ſemetipſo decrevit. Actor.2,23.& 4,28.& 10,42. Epheſ.1,1,5,11. *De decreto Dei.*

Decreto igitur Dei omnia fiunt. Eph.1,11.Mat.6,33.

Omnia verò Deus ita decrevit, ut tum locum, tempus,& modum quo fieri debuerint definiverit: tum ſingula ad ſuum finem deputarit atque etiam media ipſa, per quæ ad eum finem eſt perveniendum,ordinarit.

Eſt autem decretum Dei immutabile, ἀμετακίνητον καὶ ἀμεταμέλητον, id eſt,immotum, & cujus Deum non poſſit pœnitere,ideóque neceſſarium. Pſal.33,11.Num.23,19. 1.Sam.15,29.Eſai.46,10.Mal.3,6.Iac.1,17. Eſa.14,24,27.

Decretum Dei, vel generale eſt,vel ſpeciale.

Generale, quod generatim pertinet ad omnia & ſingula, maxima, minima, etiam quæ ſingulis momentis eveniunt.

Decretum ſpeciale, eſt quod ſpeciatim homines attingit.

Id ad hominum æternam ſalutem vel exitium peculiariter pertinens,Decretum prædeſtinationis dicitur.

Decretum prædeſtinationis, eſt decretum Dei de hominum æterna ſalute vel exitio. *De decreto prædeſtinationis.*

Eſtque duplex: Decretum electionis, vel decretum reprobationis.

Decretum electionis,eſt decretum quo Deus ſibi propoſuit ex communi interitu,in quem ſe homines ſponte præcipitaturi erant,eos,quorum miſereri vellet,eripere & ad æternam vitam ordinare,ad laudem glorioſæ gratiæ ſuæ.Epheſ.1,5. Matt.22,14.Rom.8,28.& 9,21.Actor. 13,48.Luc.10,20.Philip.4,3.Apoc.3,5.& 21,27.

Electionis decretum per metaphoram dicitur liber vitæ, in quo nomina ſalvandorum ſint ſcripta. Apocal. 20,12,15.

Decretum reprobationis, eſt decretum quo Deus ſibi propoſuit, eos quorum non vellet miſereri, in æterno exitio, cui propter peccatum futuri erant obnoxii, relinquere,ad ſuam juſtitiam declarandam.Proverb.16,4. Exod.9,16.Rom.9,22. 2.Pet.2,4.Iob.4,18.& 15,15.Iudæ verſ.4.Apoc.13,8.& 17,8.& 20,15.

Hactenus

Hactenus de decreto Dei: sequitur de executione decreti Dei.

De executione decreti. Executio decreti Dei, est opus Dei liberrimum & justissimum, quo efficit determinato tempore omnia, quæ ab æterno decreta sunt, & ita efficit, sicut decrera sunt.

Fiunt enim opera Dei nunc in tempore, ita ut decreto ipsius planè respondeant, id est, ut quæ decreta sunt, omnia actu fiant, & sicut decreta sunt, ita fiant.

Executio decreti Dei est duplex, vel in hanc vitam cadens, vel in futuram.

Executio in hanc vitam cadens, est quâ fiunt ea opera, quæ in hac vita Deus facere decrevit.

Eorum operum sunt duo: Creatio & providentia.

De creatione. Creatio, est opus Dei quo omnes creaturas è nihilo produxit. Gen. 1. & 2.

Creatura, est quicquid à Deo ex nihilo est productum.

Creaturæ autem omnes valdè bonæ sunt creatæ. Ideo omnis natura, quatenus natura, bona est, quia opus Dei est.

Earum quædam sunt creatæ ad imaginem Dei: quædam non.

De imagine Dei. Imago Dei, est dignitas & excellentia, in qua rationales creaturæ Deo similes creatæ reliquas creaturas antecellunt.

Partes ejus duæ sunt, perfecta ratio & perfecta beatitudo.

Perfecta ratio, est pars imaginis Dei, per quam creatura rationalis creatoris imaginē expressiùs gerit, dum vi quadam planè divinâ cognoscit res citra errorem uti sunt, & nihil aliud vult & eligit, quàm quod Deo placet.

Eáque consistit tum in mente tum in voluntate.

In mente est eximia intelligentia rectè cognoscens omnia simplicia, singularia & universalia, quæ natura creata cognoscere potest, eáque componens aut dividens & ex compositis ratiocinans, habens naturâ insitas aliquas notitias, quæ sunt doctrinarum principia, & vivendi norma, & actum reflexum de propriis actionibus judicantem.

In voluntate est tum conformitas voluntatis cum Deo,

Deo, tum liberum arbitrium.

Conformitas voluntatis cum Deo, est obedientia, quam voluntas Deo integrè præstat, ita ut omnes inclinationes, appetitiones & actiones cum voluntate Dei congruant.

LIBERUM arbitrium creaturæ rationalis, est facultas voluntatis, liberè, suo ac proprio motu, sine coactione eligens aut repudians id quod intellectus eligendum aut repudiandum esse dictat.

Atque ita dictum est de perfecta ratione: sequitur de perfecta beatitudine.

Perfecta beatitudo, est altera imaginis Dei pars, quâ creatura naturalis eximiâ lætitiâ in solo Deo acquiescens perfectâ felicitate fruitur.

Creaturæ ad imaginem Dei factę sunt Angeli & homines.

Angeli, sunt spiritus creati, intelligentes, invisibiles, non sustentati in alio, neque pars alterius. *De Angelis.*

Súntque vel boni vel mali.

BONI ANGELI, sunt angeli qui in sua integritate, in qua conditi erant, perstiterunt.

Eorum liberum arbitrium est ad bona tantùm, quia jam confirmati sunt in bono, ita ut nec falli atque errare mens in judicando, hoc est, approbando vel improbando objecto, nec voluntas aliud, quàm mens judicat, velle, sed quod illa probat, eligere, quod improbat, repudiare atque reijcere possit. Iob. 4, 18. Matt. 22, 30. 1. Tim. 5, 21. Ephes. 1, 10. Col. 1, 20.

Bonorum Angelorum officium est duplex: vel erga Deum, vel erga homines.

Erga Deum officium eorum est duplex: primum voluntatem Dei facere. Psal. 103, 20.

Alterum perpetuis laudibus Deum celebrare. Psalm. 103, 20. & 148, 2.

Erga homines etiam duplex est eorum officium.

Alterum, præsidio esse electis contra omnia pericula & contra hostium insidias atque insultus, & electorum morientium animas in locum beatorum transferre. Vel Dei timentibus ministrare in omnibus ipsorum viis.

Hebr.

Hebr.1,14.Psal.34,8.& 103,21. Matth.18,10. Psal.91,11. Dan.10.& 12.Luc.16,22.

Alterum, punire malos. Boni enim angeli non tantùm sunt beneficentiæ divinæ dispensatores, sed & interdum vindictæ administri.2.Reg.19.35.

De bonis Angelis dictum est: sequitur de malis.

Mali Angeli, sunt angeli qui à Deo defecerunt. Ioh.8, 44. 2. Pet.2,4.epi.Iud.v.6.Ephes.2,2.

Iidem dicuntur Diaboli.

Súntque primi autores omnium peccatorum, & suis tentationibus homines seducere, ad peccandum invitare, à Deo omnibus modis avertere & in exitium præcipitare conantur.

Tentationes diaboli, sunt persuasiones, sollicitationes & irritationes quibus homines in peccatum & exitium inducere conatur. Sic tentavit primos parentes. Gen.3, 1. Sic Christum tentans, sollicitat eum ad diffidentiam de providentia Dei, quasi Deus non posset eum sustentare & conservare sine pane. Matth.4,3. ad temeritatem & inconsultam audaciam, ut gloriæ comparandæ causa periculo non necessario se exponat, ver.6. ad Idololatriam. vers.8.

Malorum angelorum consideretur tum officium tum coercitio.

Si officium eorum spectes, coguntur Deo servire & obsequi in iis operibus, quæ Deo per eos libet efficere.

Officii hujus partes sunt duæ: Nam sunt destinati tum affligendis piis, ut eorum constantia probetur. Iob. 1,12.& 2,6,7. 2.Corin.12,7. tum impiis cruciandis tanquam lictores & carnifices Dei.

Coercitio malorum Angelorum, est circumscriptio & limitatio potentiæ & furoris ipsorum, ne plus possint, quàm Deus illis permittit.

Eorum liberum arbitrium est ad mala tantùm. Nam quia à Deo abjecti in æternum, & in malo indurati sunt, nihil nisi peccare, hoc est, tantùm ea, quæ mala sunt, & Deo displicent, mente probare & voluntate eligere possunt, ac deinceps in æternum poterunt, ac proinde

æternas

æternas pœnas luent. Iohan. 8, 44. 1. Ioh. 3, 8. Matth. 3, 8. Matth. 25, 41. Iudæ vers. 6, Apoc. 20, 10.

Hactenus de Angelis: de Homine sequitur.

Homo, est creatura Dei ad imaginem ipsius facta, constans corpore & anima rationali. *De homine.*

Ejus inprimis considerari debet tum status, tum arbitrium.

Hominis status duplex consideratur, alius ante lapsum, alius post lapsum. *De statu hominis.*

Status hominis ante lapsum, erat felix status primævæ integritatis, in qua principio fuerat homo conditus. Appellatur etiam status integer seu integritatis seu innocentiæ.

Status hominis post lapsum, est status in quem postea homo devenit.

Estque duplex, corruptus vel instauratus.

Status corruptus, est infelix status, in quem omnes homines carnali generatione propagati, propter peccatum inciderunt.

Status instauratus, est status hominis, in quo homo rursus ad imaginem Dei instauratur.

Isque duplex est, inchoatus vel perfectus: Ille est in præsenti vita: hic erit in futura.

Hactenus de statu hominis: sequitur de ejus arbitrio.

Arbitrium hominis, est facultas voluntatis eligens aut repudians id, quod intellectus eligendum aut repudiandum esse dictat. *De arbitrio hominis.*

Idque aliter se habuit ante lapsum, aliter se habet post lapsum.

Arbitrium hominis ante lapsum, erat liberum in omnibus, quod in utramque partem, hoc est, ad bonum vel ad malum inclinare poterat, ita ut vel illud vel hoc eligere, atque adeo ut homo vel stare vel labi suis viribus posset.

Etsi enim ita homo conditus erat ut esset bonus, & rectè agnoscere Deum, & spontaneo voluntatis motu integram

integram perfectámq; obedientiam ei præstare posset: tamen mutabiliter erat bonus, hoc est, in agnitione Dei & obedientia non ita erat cõfirmatus, quin obiecta boni alicujus specie inclinari ad deficiendum, atque etiam deficere suo & spontaneo motu posset.

Tantum de arbitrio hominis ante lapsum.

Arbitrium hominis post lapsum bifariam consideratur: primùm ut est in hac vita, deinde ut in futura erit.

In hac vita duplex est: aliud in hominibus corruptis seu non renatis, aliud in renatis.

In hominibus corruptis seu non renatis arbitrium tum liberum est tum servum.

Liberum est tantùm ad malum in omnibus rebus, tum in spiritualibus tum in ciuilibus & externis. Libertas verò arbitrii ad bonum, per peccatum est amissa.

Liberè quidem agit voluntas etiam non renatorum, sed nil nisi peccare potest. Sempérq; peccatum ex hoc fonte liberi arbitrii fluit.

Ac etsi non renati interdum opera quædam moraliter & per se bona præstant: tamen per accidens fiunt peccata, quia non faciunt ea ex vera agnitione Dei & fide, deinde quia aberrant à vero fine, dum non spectant hoc, ut Deum honore afficiant. Heb. 11, 6. Mat. 23, 27, 28. Rom. 1, 18. & 14, 23.

De servo arbitrio. Servum verò & captivum est non renatorum arbitrium in bonis & sanctis rebus: atque in primis ad salutem & vitam æternam pertinentibus. Nam non renati non possunt suis proprijs viribus se ad deum convertere, aut oblatam à Deo gratiam accipere, aut ullum opus Deo placens suscipere & perficere. Genes. 6, 5. & 8, 21. Ierem. 13, 10, 23. & 17, 9. Psal. 14, 1, 3. Rom. 3, 10, 11, 12. Syrac. 17, 13. Matt. 7, 18. & 12, 34. Ioh. 3, 3. & 6. 44. & 12, 39. Rom. 7, 18. & 8, 7. 2. Corinth. 3, 5.

Adhuc fuit de arbitrio hominis corrupti: sequitur de arbitrio hominis renati.

De arbitrio hominis renati. Arbitrium hominis renati liberum est partim ad bonum, partim ad malum.

Ad

Ad bonum eſt liberum arbitrium hominis renati beneficio ſingulari Spiritus Sancti, qui inchoat, continuat & perficit in eo converſionem ad Deum & bona opera: ita quidem ut & initium & progreſſio & conſummatio converſionis ſit donum Dei gratuitum: Interim tamen renatus non eſt ocioſus, ſed actus à Spiritu Sancto agit. Deut. 30,6. 1.Reg.8,58.Ierem 31,33.Ezech.11,19. & 36,26. Luc.24,45.Ioh.6,45.Act. 16, 14. Rom.6,18. 2. Cor.3,5.& 17.& 4,6.Philip.1,6. & 2,13.Eph.4.24. Coloſſenſ. 3,20.

Rurſus ad malum etiam eſt liberum renati hominis arbitrium, primùm quia in hac vita tantùm inchoatur, non autem perficitur regeneratio ſeu renovatio naturæ, hoc eſt, mentis, voluntatis & affectuum, ac ſemper manent reliquiæ carnis ſeu peccati, quæ & agnitionem in mente nonnihil obſcurant & voluntatem inclinant, ut non quæ volumus, illicò faciamus, Mar.9.24. Rom.7, 18. & ſeq. 1. Cor.13,12.

Deinde quia renati non ſemper efficaciter à Spiritu Sancto reguntur, ſed interdum ad tempus à Deo efficaciam ſuam non ita ut antea in eis exſerente, quaſi deſeruntur, & ſibi relinquuntur, ut in peccata prolapſi humilientur. 2.Sam.24,1. 1.Reg.8,57.Pſa.51,13.Eſa.62,17. Ezech.16,61.& 63.Rom.11.32. 2.Cor.12,7.

Hactenus fuit de arbitrio hominum in hac vita: ſequitur de arbitrio eorundem in futura vita.

Arbitrium hominum in futura vita aliud erit beatorum, aliud damnatorum.

Hominum beatorum poſt hanc vitam liberum arbitrium erit tantùm ad bonum, non etiam ad malum, ita ut non tantùm non peccent aut malum eligant, ſed ne peccare quidem aut malum eligere, hoc eſt, ut non niſi bonum velle amplius poſſint.

I. Quia perfecta erit regeneratio, non inchoata ut nunc eſt. Matt.22,30. 1.Cor.3,12. 1.Ioh.3,2.

II. Quia nunquam deſerentur, ſed continuè & efficaciter regentur & gubernabuntur à Deo in omnibus actionibus

actionibus suis, ne à rectitudine aberrent. 1. Cor. 15, 28.

Hominum damnatorum arbitrium erit tantùm ad malum in omnem æternitatem: quia hi sine ulla pœnitentia & spe veniæ ac liberationis semper erunt & manebunt in regno Satanæ, & ab eo atque cupiditatibus suis impellentur, & adversus Deum ruent. Matth. 25, 46. Marc. 9, 43.

Hactenus de creatione: sequitur de providentia Dei.

De providentia Dei.

Providentia Dei, est opus Dei quo omnia secundùm suam voluntatem gubernat, & ad suam gloriam & electorum salutem dirigit. Aliàs gubernatio, item imperium seu regnum Dei. Psal. 93, 1. & 97, 1. & 99, 1. & 103, 19.

Eáque perpetuum est testimonium præsentiæ Dei in omnibus locis.

Nihílque contingit temerè aut fortuitò, sed omnia fiunt providentiâ Dei, secundùm paternum ejus consilium & voluntatem.

Neque fit absque Dei voluntate, id quoque quod fit contra ejus voluntatem.

A providentia Dei gubernatur tum bonum tum malum.

De bono.

BONVM, est quicquid à Deo approbatur, ut omnes substantiæ rerum, & quantitates & qualitates earum creatæ, & motus ac mutationes, actiones & eventus, quatenus sunt motus, & naturæ ac voluntati divinæ in verbo Dei expressæ congruunt.

Quicquid igitur & in Diabolis & in hominibus ex creatione est reliquum, id bonum est.

Bonum vel naturale est vel morale.

Bonum naturale, est omne bonum quod in naturâ à Deo creatum est ad usus hominum Deo placentes, vt Sol, Luna, terrâ, aqua, cibus, potus, vestis.

Bonum morale, est actio congruens cum æterna & immota sapientia Dei, patefacta in Lege divina, quæ & in creatione insita est mentibus hominum, & postea voce divina promulgata. Vel, Bonum morale, est omnis bona actio cum voluntate Dei congruens.

Tantum

Tantum de bono: sequitur de malo.

De malo.

Malum, est destructio naturæ à Deo conditæ.

Idque vel culpæ est vel pœnæ.

Utrúmque malum proponitur. Iere. 18.8. Si conversa fuerit gens à malo suo, de quo locutus sum adversus illam, & me pœnitebit mali, quod cogitaveram, ut facerem ei.

Malum culpæ, est peccatum.

De Peccato.

Peccatum, est quicquid est contra Legem Dei.

Peccatum vel Diabolorum est, vel hominum.

Peccatum Diabolorum, est in quod mali Angeli inciderunt.

Estque duplex: Lapsus eorum, & malitia lapsum secuta.

Lapsus Diabolorum, est eorum à Deo defectio, qua propriam stationem in cœlis ad ministerium designatam reliquerunt.

Malitia diabolorum lapsum secuta, est quâ in perpetuum hostes Dei & hominum facti, odio irreconciliabili in Deum hominésque feruntur. 1. Ioh. 3, 8, 9. 1. Pet. 5, 8. Ephes. 6, 12.

Hæc de peccato diabolorum: sequitur de peccato hominum.

Peccatum hominum, est in quod homines inciderunt.

Estque duplex, vel primorum parentum, vel posterorum.

Peccatum primorum parentum, est peccatum Adami & Evæ.

De lapsu primorum parentum.

Estque duplex, tum lapsus, tum corruptio lapsum secuta.

Lapsus primorum parentum, est comestio prohibiti fructus, persuasu & fraude diaboli, per quam comestionem mandatum Dei violarunt, & se suósque posteros in mortem sempiternam præcipitarunt.

Lapsi sunt autem primi parentes tum sponte tum divinâ providentiâ.

Sponte lapsos constat, quia præditi erant proprio

arbitrio, quod liberum erat & cogi non poterat.

Itaque factum est, ut objectâ specie boni, videlicet divinitatis consequendæ, laberentur ac peccarent, mente objectum illud approbante & voluntate ad objectum illud amplectendum sese inclinante.

Providentiâ divinâ lapsos esse constat ex Prov. 16, 4. Rom. 11, 32. Gal. 3, 22.

Corruptio lapsum secuta, est obscuratio imaginis Dei, per quam desijt in mente vera & integra Dei cognitio, in voluntate libertas arbitrij ad bonum, & corde vera dilectio & timor Dei & propositum ac studium obediendi Deo, ac successit in mente ignorantia, & dubitatio: in voluntate & corde contumacia adversus Deum & prava inclinatio.

Hæc de peccato primorum parentum.

Posterorum peccatum, est in quod omnes posteri Adami & Evæ inciderunt.

Estque duplex: Originale vel Actuale.

De peccato originali.

Peccatum originale, est peccatum in quo omnes cõcipimur & nascimur, qui generatione carnali propagamur: A Paulo nominatur peccatum inhabitans. Rom. 7, 20. Psal. 51, 7. Ephes. 2, 3. Rom. 5, 12.

Ejus partes duæ sunt: Reatus originalis & pravitas originalis.

Reatus originalis, est hæreditaria culpa & obligatio ad pœnam propter lapsum primorum parentum. Rom. 5, 12. Ita in omnes homines mors pervasit.

Pravitas originalis, est hæreditaria depravatio, & corruptio totius humanæ naturæ.

Ista pravitas non est ipsa natura humana: sed saltem in natura humana inhæret, à qua semper etiam post depravationem est discernenda.

Estque tum in anima, tum in corpore.

In anima duplex est pravitas: caligo mentis & amissio liberæ voluntatis seu liberi arbitrij ad bonum, & inordinatio affectuum cordis, inclinatio prava ad vitia.

In corpore etiam duplex est pravitas: Inordinatio locomotivæ: & hæreditarii morbi.

Tantum

Tantum de peccato originali: ſequitur de actuali.

Peccatum actuale, eſt peccatum quod nos ipſi committimus. *De peccato actuali.*

1. Idque primò vel internum eſt, vel externum.

Internum, eſt quævis cogitatio mala, dubitatio de Deo, de voluntate ejus, incredulitas, &c.

Externum, eſt quodvis dictum, factum vel geſtus, repugnans Legi & voluntati Dei.

Externum vel occultum eſt, vel manifeſtum.

Occultum, eſt peccatum cujus inter homines nemo conſcius eſt, præter eum qui id fecit.

Manifeſtum, eſt peccatum cujus etiam alij homines conſcij ſunt, eóque offenduntur & deteriores reddunturideo tunc ſpeciatim dicitur Scandalum.

Scandalum eſt dictum vel factum, quo alius deterior redditur. *De Scandalo.*

Scandalum vel datum eſt vel acceptum.

Scandalum datum, eſt impia doctrina aut malum morum exemplum, quod noceat alijs, ſive quia imitantur, ſive quia deterrentur homines ab Evangelio.

Scandalum acceptum, eſt cùm vel rectâ doctrinâ vel neceſſario facto hypocritæ offenduntur & concipiunt odium Evangelij & piorum. Idque etiam vocatur Phariſaicum ſcandalum.

2. Rurſus peccatum vel regnans eſt vel non-regnans, quod aliqui dixerunt mortale vel veniale.

Peccatum regnans, eſt peccatum cui peccans non repugnat per gratiam Spiritus Sancti, regenerantis eum ad vitam æternam, ideóque facit eum obnoxium morti æternæ, niſi pœnitentiam agat, & veniam per Chriſtum conſequatur.

Peccatum non regnans, eſt peccatum cui peccans repugnat per gratiam Spiritus ſancti, regenerantis eum ad vitam æternam, ideóque non facit eum obnoxium morti æternæ, quia pœnitentiam agit, & veniam per Chriſtum conſequitur.

Omne peccatum ſuâ naturâ eſt mortale, hoc eſt, mortem æternam meretur: fit autem veniale, id eſt, veniam

& remissionem meretur, ut non accersat mortem æternam renato, ex gratia propter Christum.

3. Vicissim omne peccatum aut est contra conscientiam, aut non contra conscientiam.

Peccatum contra conscientiam, est peccatum, cùm sciens Dei voluntatem, ex proposito contra eam facit.

Peccatum non contra conscientiam, est peccatum, quod vel ab ignorante voluntatem Dei committitur, vel peccatum quidem esse agnoscitur & deploratur à peccante, sed tamen vitari non potest perfectè in hac vita, ut peccatum originale & multa peccata ignorantiæ & infirmitatis

4. Præterea peccatum vel remissibile est vel irremissibile.

Peccatum remissibile, est peccatum quod remittitur agenti pœnitentiam & petenti remissionem propter Christum.

Qualia sunt peccata omnia excepto peccato in Spiritum Sanctum.

Peccatum irremissibile, est peccatum quod non remittitur, neque in hoc, neque in futuro seculo. Matth. 12, 31. Marc. 3, 28. Luc. 12, 10. Hebr. 6. 4, 5, 6. 1. Ioh. 5, 16.

Cujusmodi est peccatum in Spiritum Sanctum.

Peccatum in Spiritum Sanctum est peccatum, cùm oppugnatur aut abnegatur veritas divina destinato cõsilio, postquam de veritate testimonio Spiritus Sancti mens edocta & confirmata est: quod peccatum qui committunt, cœcitate à Deo puniuntur, ita ut nunquam resipiscant, ac proinde nec remissionem consequuntur.

5. Insuper peccatum vel affectatum est vel fortuitum.

Peccatum affectatum, est peccatum quod ex mera malitia & contumacia est commissum.

Peccatum fortuitum, est peccatum quod ex inconsiderantia vel infirmitate est commissum.

6. Denique peccatum omne vel per se est vel per accidens.

Peccata per se, sunt omnia peccata quæ Lege divina prohibentur.

Peccata per accidens, sunt actiones non renatorum, quæ

quæ præceptæ quidem sunt à Deo: sed tamen Deo displicent propter defectus & vitia in impiis concurrentia: aut actiones adiaphoræ, quæ fiunt cum scandalo.

Sic fuit de malo culpæ: sequitur de malo pœnæ.

De malo pœnæ.

Malum pœnæ, est omnis destructio, aut afflictio, aut desertio creaturæ rationalis, quâ Deus punit peccata.

Tantum de subjecto providentiæ divinæ: sequuntur ejus partes.

Providentiæ Dei partes.

Providentiæ Dei partes duæ sunt: Actio & permissio, Augusst. Enchir. ad Laurent. Non fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, (non fieret autem si non sineret, nec utique nolens sinit, sed volens) vel ipse faciendo.

Nihil igitur fit, nisi quod Deus vel ipse agit vel fieri permittit.

De actione Dei.

Actio est bonorum, quæ Deus ipse efficit: in quibus etiam mala pœnæ, quæ vocant, numerantur: quia boni moralis rationem habent.

Actio Dei vel mediata est vel immediata.

Mediata, est cùm ministerio causarum secundarum tanquam instrumentorum utitur, ad opera certa perficienda.

De instrumentis Dei.

Instrumenta verò quibus Deus utitur, sunt vel bona, vel mala.

Utríque non solùm bonis, sed etiam malis instrumentis Deus semper bene utitur.

Deus utitur malis vel ad exercendum & explorandũ fidem, patientiam & constantiam electorum, ut patet ex Iobi exemplo: vel ad castigandum electos: Sic utitur Absolomo ad castigandum Davidem: vel ad puniendum malos, ut mali per malos puniantur. Esa. 21, 2.

Licet verò malis instrumentis utatur: tamen pullius omnino peccati est author vel particeps: quod vel inde apparet, quòd mala instrumenta, quorum opera usus erat, deinceps severissimè punit. Esa. 14, 5, 6, 29.

Etsi etiam mali nihil agant neque agere possint, quod à Deo decretum non sit: tamen excusari vel excusatio-

nem habere non possunt, & meritò puniuntur: Quia ipsi non respiciunt decretum & gloriam Dei, neq; eum finem quem Deus sibi propositum habet: sed suum proprium malum propositum, ut illud effectum reddant, id est, ut faciant, quę malitia innata ipsis dictat, repleti ira, invidia, odio, studio vindictæ, & nullum alium finem sibi proponunt, quàm ut suo desiderio, avaritiæ, ambitioni satisfaciant, ut statum suum conservent vel augeant, ut bonos evertant, ut se ulciscantur. Exemplum illustre est Esa. 10,5,6. & seq. Esa. 14,5. & 5,7,6.

Impii enim semper finem malum propositum sibi habent. Gen. 50,20.

Etsi verò Deus malos movet, ut per eos bene agat: ipsi tamen contrário motu se movent ad agendum malè, & ut velint quod malum est & perficiant.

Interim Deus etiam mala quæ impii faciunt, ad bonum finem dirigit, nempe ad suam gloriam, & salutem electorum.

Scivit enim Deus magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala esse non sinere.

Quare quòd peccant Satan & impii, eorum est, quòd peccando hoc vel illud agunt, ex virtute Dei est, id est, Quòd moventur & agunt mali, ex virtute Dei est, sed quòd malè, id est, malis affectibus, malis consiliis, malo modo, malo fine moventur & agunt, id ipsorum est: discernenda est enim malitia ab ipsa actione, cui malitia adjuncta est.

Omnis actio, quatenus actio est, à Deo est: nam in ipso vivimus, movemur & sumus. Actor. 17,28. & is omnia efficit ex consilio voluntatis suæ. Ephes. 1,11. malitia verò actionis ex hominis voluntate nascitur, nec Deum attingit, qui malis & vitiosis instrumentis sic uti potest, ut interim nulla ipse mali contagione inficiatur.

Quicquid ergo est in actione peccati, in instrumentis hæret, à quibus etsi fiunt, quæ Deus voluit, non tamen semper eodem modo fiunt, qui ei placeat: & alium finem sibi proposuerunt, quàm eum quem Deus spectavit.

Utraque instrumenta, & bona & mala, vel ordinaria sunt vel extraordinaria.

Ordinaria,

Ordinaria, quibus ordinariè Deus utitur ad exequendum ſuum decretum.

Extraordinaria contrà.

Rurſus vel animata ſunt vel inanimata.

Inſtrumenta animata vel rationalia ſunt, vel rationis expertia.

Rationalia: ut angeli. 2. Reg. 6, 17. Iob. 2, 7.

Et homines. Gen. 45, 4. 2. Sam. 16. 10. Iere. 25, 9. Ezec. 21, 21. Iohan. 19, 11. Act. 2, 23. & 4, 27.

Rationis expertia: ut beſtiæ. 2. Pet. 2, 16. Ezech. 14. 2. Reg. 2. 24. Gen. 8 2. Exod. 8. 2.

Inſtrumenta inanimata ſunt ſulphur, ignis. Gen. 19, 24. grando. Exod. 9, 22. manna. Exod. 16, 4. carnes. Exod. 16, 13. potus & cibus. 1. Reg. 17, 4. item ſiccitas, fames, morbus, peſtis, gladius, bellum, mors. Eſai. 13, 4. 17. Omnia enim iſta ſunt miniſtri Dei.

Sic fuit de actione Dei mediata: ſequitur de immediata.

Actio Dei immediata, eſt qua Deus abſque mediis ſeu inſtrumentis quæcunque vult efficit. Gen. 20, 3. Mat. 4, 4. Deut. 8. 3. Sic Gen. 2, 5. cùm nondum pluiſſet Iehova ſuper terram, nec quiſquam eſſet qui coleret terram: tamen omnia virebant & florebant in campo, & frumenta erant in campis. *De actione Dei immediata.*

Diſcimus inde, Deum etiam ſine mediis omnia efficere & producere poſſe.

Nec tamen inde ſequitur, non eſſe colendam terram, cùm Deus poſſit omnia ex terra ſine mediis producere, id eſt, etiamſi non pluat, etiamſi non colatur terra: Quia Deus media deinceps ordinavit, per quæ vult agere. His iam utendum eſt: alioquin Deum tentaremus.

Quin hominem Deus laborare voluit etiam in ſtatu integritatis, ut nempe tueretur hortum Eden. Geneſ. 2, 15.

Sic fuit de actione Dei: ſequitur de permiſſione.

Permiſſio Dei, eſt opus providentiæ divinæ, quo Deus juxta æternum ſuum decretum permittit fieri malum *De permiſſione divina.*

Beza in Quæst. & resp. In malis non agit Deus: sed eos Satanæ & suis cupiditatibus permittit.

lum culpæ seu peccatum, dum gratiam suam peccantibus subtrahit, & eorum voluntatem ad obtemperandum divinæ voluntati non flectit. Esa.2,6. Act. 14,16. Rom.1,24,28. Psal.81.13.

Permissio, est malorum culpæ, id est, peccatorum quæ Deus non facit, sed fieri secundùm suum decretum permittit. Esa.2,6. Act.14,16. Rom.1,24.

Permittit verò Deus malum culpæ ita, ut non fiat nisi volente ipso, & aliter non fiat, quàm permittit, & ulterius non possit fieri, quàm permittit, ut illud interim dirigat ad bonum finem.

Permittit Sanctos labi in peccatum, ut propter peccatum castigatos ad veram sui agnitionem & humilitatem adducat. Psal.119. Bonum est mihi Domine, quòd humiliaveris me, ut discerem justificationes tuas.

Permittit etiam reprobos ruere in peccatum, ut in illis puniendis propter peccatum demonstret gloriam suæ justitiæ. Rom 9,17. Exod.9,16.

Nec enim fineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene.

Sic igitur æterno, immutabili, sapientissimo & justissimo consilio nequaquam effecit aut approbavit, sed permisit ut præcipuæ creaturæ laberentur in peccatum.

Cæterum Diabolus & impij, imò omnes creaturæ ita sunt in Dei potestate, ut sine ejus arbitrio non modò nihil agere, sed ne movere se quidem possint. Genes.20,6. Sic pseudopropheta Bileam non potuit maledicere Israëlitico populo. Num.22. Iob.1,12. & 2,6. Prov. 21,1. Act. 17,25,28.

Unde duo colligimus consectaria.

Primum pertinet ad nostram consolationem, nimirum, nobis nihil mali à Diabolo vel ab improbis hominibus posse accidere sine voluntate & permissione Dei.

Alterum pertinet ad institutionem nostram, nempe quicquid nobis adversi eveniat, esse animum à nostris hostibus & malis, quibus affligimur, avertendum, & erigendum ad Deum, patienter perferenda omnia. Iob.1. agnoscenda Dei justa judicia & adoranda. Psal. 119. Bonum est mihi Domine quòd humiliasti me, &c. apud Deum deponendam injuriam, &c.

Hactenus

Hactenus fuerunt partes providentiæ: ſequuntur ſpecies.

Providentia Dei duplex eſt: Generalis vel ſpecialis.

Generalis providentia Dei, eſt qua totus mundus regitur. Gen. 7,1,2,3. *De generali providentia Dei.*

Eáque imprimis declaratur & conſpicitur in conſervatione rerum vel deſtructione.

Conſervatio rerum, eſt qua Deus creaturas conſervat ad amorem ſuum erga eas declarandum. Pſal. 36,8, 9. Pſal. 104. toto, & 105,106. Mat. 6,26,30.

Conſervatio vel univerſalis eſt vel ſingularis.

Conſervatio univerſalis, eſt qua univerſis creaturis etiam malis adeſt, ita ut eas conſervet tantiſper donec vult. Pſal. 104. toto. Mat. 6,26,30.

Ea conſpicitur in ſucceſſione vel in ſtatu.

Succeſſione, qua vel ſpeciebus morientibus ſeu intereuntibus aliæ ſpecies ſuccedunt, ut hominibus homines, jumentis jumenta, fruges frugibus: vel tempeſtas tempeſtati ſuccedit, ut ver hiemi, veri æſtas, æſtati autumnus, autumno hiems.

Statu autem, ut eorum quæ harum mutationum ſunt expertia, ut continuationis motus cœleſtis, Solis, & aliarum ſtellarum, perennitatis fluminum, &c.

Conſeruatio ſingularis, eſt qua ſigillatim ſingulariſſimæ cujuſque rei procurationem ſuſcipit. Mat. 6,30. & 10,29,30. Pſal. 56.9. lacrymas ſuorum Deus numerat.

Deſtructio rerum, eſt qua Deus quæ vult deſtruit, ut exempla juſtiſſimorum ſuorum judiciorum præbeat conſpicienda. Pſal. 104,29. & Pſal. 105. & 106. Gen. 7,4. & 19,24. Num. 16,31.

Uſus doctrinæ de providentia Dei eſt triplex.

1. Ut in adverſis patientes ſimus. Rom. 5,3. Iacob. 1, 3. Iob. 1,21.

2. Ut in ſecundis grati ſimus. Deut. 8,10. 1. Theſſ. 3,18.

3. Ut in futurum optimam in Deo fidiſſimo patre ſpem repoſitam habeamus, certò ſcientes, nihil eſſe, quod nos ab ejus amore abſtrahat. Rom. 5,2,4,5,6. Rom. 8,38,39.

Generali

Generali providentia expoſita: ſequitur ſpecialis.

De ſpeciali providentia Dei.

Specialis providentia Dei, eſt qua Deus peculiariter homines regit.

Specialis providentiæ divinæ opera vel ſunt univerſalia vel particularia.

Univerſalia, ſunt quę ad univerſos homines ſpectant.

Súntque prædeſtinatio, patefactio Dei naturalis, afflictio, motus arcanus voluntatum & gubernatio omnium actionum humanarum.

De prædeſtinatione.

Prædeſtinatio, eſt ordinatio hominum lapſorum vel ad vitam æternam vel ad mortem æternam.

Prædeſtinatio eſt duplex: Electio vel reprobatio.

Electio & reprobatio propriè referuntur ad genus humanum jam conditum & lapſum, peccatóq; corruptum: at per Metonymiam effecti ſic etiam nominatur ipſum eligendi & reprobandi decretum.

Electio, eſt prædeſtinatio, qua Deus pro gratuita ſua miſericordia eos quos vult, ex communi interitu eripit. Epheſ. 2,3,4,5,6,7.

In electis vult Deus declarare miſericordiam: quia cùm juſtiſſimè potuiſſet totum genus humanum propter peccatum, in quod ſponte erat lapſum, abjicere, ſiquidem omnes eramus naturâ filii iræ ſicut & reliqui: ex ſola gratuita miſericordia aliquos ex communi interitu eripit, ut obturetur omne os, & omnis gloria ſalutis noſtræ tribuatur Deo. Epheſ. 2,3,4,5,6,7.

Reprobatio, eſt prædeſtinatio qua Deus pro ſua juſtitia, eos quorum non eſt miſertus in exitio, in quod ſe ſponte præcipitarunt, relinquit.

Hactenus de prædeſtinatione: ſequitur de patefactione Dei naturali.

De patefactione Dei naturali.

Patefactio Dei naturalis, eſt quæ fit per miniſterium naturę, ad hunc finem ut omnibus hominibus excuſatio ignorantiæ Dei & peccati præcidatur.

Eſtque vel ex lege naturæ vel ex operibus naturæ.

Lex naturæ, eſt naturalis notitia in prima creatione cordibus hominum impreſſa, tradens diſcrimen honeſtorum

ſtorum & turpium, ut illa quidem expetantur, hæc verò fugiantur. Rom. 1, 32. & 2, 15.

Patefactio Dei ex operibus naturæ, eſt patefactio naturalis, quâ per opera creationis Deus æternam ſuam potentiam & divinitatem demonſtrat. Rom. 1, 19, 20.

Hactenus de patefactione Dei naturali: ſequitur de Afflictione.

Afflictio, eſt opus ſpecialis providentiæ Dei, quo Deus homines juxta æternum ſuum decretum affligit. *De afflictionibus.*

Afflictio vel pœna eſt vel crux.

Pœna, eſt afflictio quam Deus hominibus propter peccata immittit. *De pœna.*

Eſtque vel caſtigatio vel vindicta divina.

Caſtigatio, eſt pœna qua Deus ſuos electos propter peccata caſtigat, ut eos ad reſipiſcentiam excitet. Eſa. 2, 17. Pſal. 119. 71.

Vindicta divina, eſt pœna qua Deus ulciſcitur peccata improborum, ut eos deſtruat.

Vindicta divina eſt duplex, ſpiritualis vel corporalis.

Spiritualis, eſt quæ ad res ſpirituales ſeu animam pertinet.

Eſtque vel induratio vel ſubtractio gratiæ.

Induratio, eſt vindicta ſpiritualis, cùm Deus in cæcitate & pravitate naturali quoſdam relinquit juſto ſuo judicio.

Subtractio gratiæ, eſt vindicta ſpiritualis, cùm Deus ab illis, quos illuminare cœperat, ſuam aufert gratiam propter ipſorum peccata.

Vindicta corporalis, eſt vindicta quam Deus ab impiis in rebus corporalibus exigit.

Rurſus vindicta vel temporalis eſt vel æterna.

Vindicta temporalis, eſt pœna quæ in hac vita infligitur impiis, ut illâ tanquam præludio, ad diriſſimam, quæ tandem eos manet, gehennam apparentur.

Vindicta æterna, eſt pœna quæ impios in inferno in perpetuum ſine ullo fine manebit.

Hactenus de pœna: ſequitur de cruce.

Crux, eſt afflictio cùm totius Eccleſiæ tum ſpeciatim ſingulorum *De cruce Eccleſiæ.*

singulorum piorum, sed non propter peccata, verùm ut pii vestigiis crucis Christi insistentes, ipsius imagini conformes fiant. 1.Pet.4,13,15. Philip.3,10. Rom.8,28. Coloss.1,24.Hebr.12,2. 1.Pet.2,21.

Estque duplex, tentatio & martyrium.

Tentatio divina, est crux piorum, per quam Deus eorum fidem in promissiones divinas, præsenti vel imminente malo explorat, eámque omnibus spectandam & imitandam proponit.

Eáque vel interna est vel externa.

Interna duplex, animi angustia, vel spiritus & carnis lucta: ut apparet in exemplo Abrahami.

Externa, ut afflictio corporis, amissio facultatum, liberorum, &c. ut conspicitur in exemplo Iobi.

De martyrio. Martyrium, est crux piorum, quam propter veritatem Christi à mundo patiuntur.

Estque vel cruentum vel incruentum.

Martyrium cruentum, est sanguinis & vitæ profusio ad veritatem Dei tanquam externo et indubitato testimonio finaliter confirmandam. Iohan.21,18.

Martyrium incruentum, est calumniarum, ignominiæ, carceris, exilii et aliorum periculorum perpessio veritatis causâ. 2.Cor.4,8.et 6,4,8.et 12,10. 1.Pet.4,14.

Hucusque fuit de afflictione: sequitur de motu arcano voluntatum.

De motu arcano voluntatum. Motus arcanus voluntatum, est opus specialis providentiæ divinæ, cùm Deus huc vel illuc hominum voluntates flectit. Prov.21,1. Iob.12,20,24.

Omnes actiones etiam malorum, quas ipsi peccando efficiunt, quanquã arcanâ, tamen bonâ & justâ Dei voluntate fiunt ac reguntur. Omnes, inquã, actiones, etiã malorũ, quatenus sunt actiones, sive motus ad objecta, vel quatenus sunt pœnę vel castigationes vel executiones voluntatis divinæ, omnes, inquam, efficaciter vult & regit Deus. Genes.45,5,7,8. Exod.7,3. & 10,1. Deuter.2, 30. Iosu.11,19,20. Iud.3,1,12. 1.Sam.16,14. 2.Sam.12,11, 12. 2.Sam.16,10,11. 2.Sam.24,1. 1.Reg.22,19,20,21,22, 23. Iob.1,12,21. & 2,3,6,& 19, 6. Psal.107,40. Esa.19,2,3.

Ioh.

Ioh.13,27. Quod facis, fac citò. Act.2.23.& 4,27. & 7,43. Rom.1,24,28. Apoc.17,17.

Motus arcanus voluntatum vel emollitio est vel induratio.

Emollitio, est motus arcanus quo voluntates hominum Deus flectit, ut sponte faciant quod Deo gratum est. Sic præceperat Deus viduæ, hoc est, arcanâ providentiæ suæ vi ejus voluntatem flexerat, ut sponte sustentaret Eliam.

Induratio, est motus arcanus quo Deus voluntates hominum huc flectit, ut nolint quod Deo gratum est. Sic induravit Deus Pharaonem ut nollet dimissionem populi & pacem cum eo. Sic induravit Semei, ut non abstineret à maledicendo. 2.Sam.16,22. *De induratione.*

Hæc de motu arcano voluntatum: sequitur de gubernatione omnium actionum humanarum.

Gubernatio omnium actionum humanarum, est opus specialis providentiæ Dei, quo ita regit omnes omnino actiones hominum, ut ipsi libet. *De gubernatione omnium actionum humanarum.*

Ejus partes sunt, directio actionum & coercitio impiorum.

Directio actionum, est opus specialis providentiæ Dei, per quod ita Deus omnes actiones hominum moderatur, ut nihil efficere possint, nisi quod ipse jam apud se decrevit, nec alio modo, quàm quo decrevit, ut illud interim dirigat ad bonum finem. Roman.9,17.& 11,11. 1.Corinth.11,19. Philip.1,12. et seq. 2.Thessal.2,11,12. Apocal.17,17.

Coercitio impiorum, est opus specialis providentiæ divinæ, quo Deus determinat et velut circumscribit potentiam impiorum hominum, ne plus possint, quàm Deus ipsis permittit.

Hactenus fuerunt universalia opera specialis providentiæ Dei: sequuntur particularia.

Particularia opera specialis providentiæ Dei sunt, quæ ad partem generis humani pertinent.

Qualia sunt Patefactio voluntatis Dei supernaturalis:

lis: vocatio, fœdus divinum et signum divinum.

De patefactione voluntatis Dei supernaturali.

Patefactio voluntatis Dei supernaturalis, est opus specialis providentiæ Dei, quo suam voluntatem hominibus peculiari modo in Ecclesia patefacit. Psal. 103, 7. Hebr. 1, 1, 2.

Hujus sunt duæ partes, revelatio doctrinæ vel prædictio rerum futurarum.

Revelatio doctrinæ vel Legis est vel Evangelij.

De Lege Dei.

Lex Dei, est doctrina quæ præcipit quid nobis sit agendum vel omittendum, requirens perfectam erga Deum obedientiam internam et externam, et hanc præstantibus vitam æternam promittens: ulla verò ex parte eam violantibus comminans æternas pœnas. Matth. 19, 16, 17, 18, 19. Matt. 7, 12. Levit. 18, 5. Ezech. 10, 11. Rom. 10, 5. Gal. 3, 10. Deut. 27, 26. Iacob. 2, 10.

Lex Dei vel generalis est vel specialis.

Generalis, quâ generatim omnes semper sunt obligati, nisi Deus ipse speciatim aliud jubeat. Ita generalis est Decalogus.

Omnes enim leges generales sunt intelligendæ cum hac conditione: NISI DEUS IPSE ALIUD JUBEAT, ut:

Non facies tibi sculptile, scilicet nisi Deus jubeat speciatim facere, ut cùm jussit facere Cherubinos, æneum serpentem, &c.

Non furaberis, scilicet nisi Deus ipse jubeat speciatim, ut cùm iussit spoliare Ægyptios. Non occides, scilicet nisi Deus speciatim jubeat, quemadmodum mandavit Abrahamo, ut filium Isaacum immolaret. Honora parentes, obtempera parentibus, scilicet nisi Deus jubeat aliud, quàm parentes: tum enim non est parentibus obtemperandum, sed Deo.

Specialis lex Dei, est quam speciatim certis tulit in certo casu.

Ideo non evertit legem generalem: quia specialis lex nec perpetua est, sed certi temporis, neque ad omnes pertinet, sed tantùm ad eos quibus specialiter est lata: neque in omnibus casibus valet, sed tantùm in eo quem nominatim expressit ipse Deus.

Rursus Lex Dei vel perpetua est vel certi temporis.

Lex

Lex Dei perpetua, eſt quæ ſemper omnes creaturas rationales ad obedientiam obligat: Dicitúrque lex moralis.

Lex moralis, eſt lex quæ præcipit qualis unuſquiſque eſſe debeat in moribus internis & externis, ut tota vita conformis ſit cum voluntate Dei. *De lege morali.*

Ejus ſumma comprehenditur decalogo.

Decalogus, eſt brevis ſumma legis moralis, decem præcepta continens. *De Decalogo.*

Diſtribuiturque in duas Tabulas ſeu partes.

Prima Tabula continet quatuor præcepta de officijs noſtris erga Deum, ſeu de dilectione erga Deum, ſeu de cultu Dei. *Prima Tabula Decalogi.*

Primum præceptum eſt: Non habebis deos alienos coram me. *Primi præcepti explicatio.*

In eo prohibet Deus habere deos alienos coram ipſo.

Deus alienus, eſt omne id in quo homo fiduciam ſuam collocat præter verum Deum, aut quod plus quàm Deum, vel æquè ac Deum diligit aut metuit, aut cui cultum divinum exhibet contra expreſſum verbum Dei.

Habere deos alienos, eſt fiduciam ſuam collocare in quopiam quod Deus non eſt, idque plus quàm Deum vel æquè ac Deum diligere aut metuere, aut ei cultum divinum exhibere contra expreſſum verbum Dei.

Non habere deos alienos coram Deo, eſt fugere omnem idololatriam, non tantùm in hominum conſpectu, ſed etiam in corde, cùm oculis Dei univerſa pateant.

Secundum præceptum eſt: Ne ſculpas tibi ſimulacrum, nec ullam imaginem effingas eorum, quæ aut ſuprà ſunt in cœlo, aut infrà in terra, aut in aquis ſub terra: neq; incurves te illis, neque colas ea. Ego enim ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, vindicans peccata patrum in filiis, idq; in tertia et quarta progenie eorum qui oderunt me: et miſericordia utens in milleſimam eorum, qui diligunt me, et obſervant præcepta mea. *II. Præcepti.*

In hoc præcepto prohibet Deus et fabricam imaginum religionis cauſâ, et cultum earundem.

Per imaginem autem Synecdochicè intelligitur etiam omnis cultus Dei ab hominibus confictus.

Non ſunt igitur imagines in templis tolerandæ, quæ

pro

pro libris sint imperitæ multitudini.

Neque enim decet nos sapientiores esse Deo, qui suam Ecclesiam non mutis simulacris, sed viva prædicatione verbi sui vult erudiri. Ierem.10,8. Habac.2,18,19. Luc.16,29. Nec Deus aliâ ratione colendus est, quàm ipse in verbo suo præscripsit.

Est autem comminatio et promissio huic præcepto addita, ut ab idololatria, tanquàm à peccato abominabili, nos efficaciùs absterreat.

In comminatione Deus se nominat fortem et zelotem.

Fortem quidem, ut illius ad vindicandum potentiam formidemus.

Zelotem verò, quia honorem suum alteri communicari impunè nunquam sinit.

Cæterum comminatione ea minatur Deus pœnas tum peccantibus, tum etiam peccantium posteris.

Posteris peccantium minatur Deus pœnas duabus de causis.

1. Ut peccati magnitudinem ostendat, quæ non tantùm iis à quibus perpetratur, sed eorum quoque posteritati pœnas attrahat, si secundùm justitiæ suæ rigorem Deus velit agere.

2. Ut saltem posteris metuentes, à peccatis homines abstineant.

Posteros puniri propter peccata parentum, iustitiæ Dei non repugnat: nam ea naturæ pravitate sumus, ut nisi Deus singulari misericordia nos respiciat, omnes in parentum peccatis perseveremus.

Tantum de comminatione.

In promissione huic præcepto adjuncta promittit Deus, se etiam posteris piorum benedicturum.

Ejus duæ sunt causæ:

1. Ut magnitudinem suæ misericordiæ erga pios exprimat, quâ non tantùm ipsis, sed eorum quoque posteris bene facit.

2. Ut promissa felicitate posterorum, nos vehementiùs ad pietatem excitet.

Ac in millesimam generationem se benefacturum, in quartam

quartam saltem puniturum ait, ut testetur se non perditione, sed salute hominum lætari: punire autem non nisi propter justitiæ suæ manifestationem.

Adhuc de secundo præcepto: sequitur tertium.

Tertium præceptum est: Ne usurpes nomen Domini Dei tui temerè. Neque enim Dominus dimittet eum impunitum, qui nomen ejus vanè usurpaverit. *III. Præceptum.*

In eo prohibet Deus vanam usurpationem nominis sui, eámque prohibitionem sancit gravi pœna.

Vana usurpatio nominis divini, est cùm quid de Deo falsum aut contumelioſum dicitur, aut cùm per Deum ex levitate, vel impietate falsò vel temerè juratur, aut cùm quis aliis ex consuetudine vel vindictæ studio dira imprecatur.

Sanctio hujus præcepti continet comminationem pœnarum, ut Deus testetur nominis sui profanationem inter gravissima peccata esse.

Quartum præceptum est: Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum. At septimo die Sabbatum erit Domino Deo tuo. Non facies ullum opus, nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec servus tuus, nec ancilla tua, nec jumentum tuum, nec advena, qui est intra portas tuas. Nam sex diebus fecit Deus cœlum, terram, mare, & quæcunque in iis sunt, & requievit die septimo, ideóque benedixit diei Sabbati, & sanctificavit eum. *IV. Præceptum.*

Sanctificatio Sabbati, est destinatio diei festi publico cultui Dei: seu, est ponere diem in sacris occupationibus & exercitiis.

Partes ejus sunt quatuor, tractatio verbi Dei, sacramentorum usurpatio, publica Dei invocatio, & operum misericordiæ exercitatio.

Vult Deus certum tempus ministerio Ecclesiæ destinari propter duas causas.

1. Propter imbecilitatem nostram, qui aliás rarò ad meditationem rerum divinarum nos totos conferimus.

2. Ut quies à labore detur iis qui sub aliena potestate sunt.

Cæterum ad diem ſeptimum adſtricti non ſumus: quia Chriſtus adventu ſuo ceremonias Moſaicas abolevit.

Hactenus fuit prima Tabula Decalogi: ſequitur ſecunda.

Secunda Tabula Decalogi. Secunda Tabula Decalogi conſtat ſex præceptis de officiis ſeu dilectione erga proximum.

Eáque præcepta ſunt in ordine, quintum, ſextum, ſeptimum, octauum, nonum & decimum.

V. Præceptum. Quintum præceptum eſt: Honora patrem tuum & matrem tuam, ut diu vivas in terra, quam tibi Dominus Deus tuus daturus eſt.

Ejus duæ ſunt partes. In prima parte præcipit Deus præſtationem honoris parentibus debiti.

Parentum nomine intelliguntur non tantùm ii qui nos genuerunt, ſed etiam omnes ſuperiores qui nobis præſunt, ſeu qui à Deo ad nos regendos nobis ſunt præfecti.

Honoris autem ſuperioribus debiti, quinque ſunt partes, reverentia, amor, obedientia in omnibus rebus à Deo non prohibitis, gratitudo, & patientia in eorum infirmitatibus & nævis ferendis.

In ſecunda parte hujus præcepti promittit Deus longævam vitam honorantibus parentes, ídque duabus de cauſis.

1. Ut oſtendat quanti faciat obedientiam erga ſuperiores.

2. Ut nos ad eam præſtandam alliciat.

VI. Præceptū. Sextum præceptum eſt: Non occides.

In eo prohibet Deus homicidium.

Homicidij autem nomine intelligitur non tantùm externa læſio vitæ noſtræ vel proximi, ſed etiam omnis cauſa læſionis & homicidii, ut ſunt ira, geſtus iracundi, facta injurioſa, contumelia, odium, vindictæ privatæ cupiditas.

VII. Præceptum. Septimum præceptum eſt: Non committes adulterium.

In eo prohibet Deus omnem impuritatem animi & corporis, tum in conjugio, tum extra conjugium.

Octavum

Octavum præceptum eſt: Non furaberis. *VIII. Præceptum.*
In eo prohibet Deus furtum.

Furtum, eſt quælibet injuſta rerum alienarum ad ſe tranſlatio, ſive clàm fiat, ſive palàm, & rurſus ſive vi, ſive dolo & ſpecie recti fiat. Seu Furtum, eſt quævis ratio rem faciendi à Deo interdicta.

Cujuſmodi ſunt rapina, ablatio rerum alienarum, iniquum pondus, injuſta ulna, inæqualis menſura, fuſoſa merx, fallax moneta, uſura, avaritia, divinorum donorum abuſus.

Nonum præceptum eſt: Non dices contra proximum tuum falſum teſtimonium. *IX. Præceptũ.*

In eo prohibet Deus falſum teſtimonium tum in judicio, tum extra judicium.

Falſo igitur teſtimonio intelliguntur etiam perjurium, calumnia, obtrectatio, convitium, maledicentia, ſuſpicio mala, garrulitas, aſſentatio, denique omnis generis mendacia.

Decimum præceptum eſt: Non concupiſces domum proximi tui, nec concupiſces uxorem proximi tui, nec ſervum ejus, nec ancillam, nec bovem, nec aſinum, nec quicquam eorum, quæ ſunt proximi tui. *X. Præceptum.*

In eo prohibet Deus etiam minimam cupiditatem & cogitationem legi divinæ repugnantem.

Nam coram Deo non tantùm externum malefactum eſt peccatum, ſed etiam cogitatio & deliberatio malefacti perpetrandi, etiamſi ad exitum perducta non fuerit.

Hactenus fuit explicatio decalogi: ſequitur de uſu legis moralis.

Uſus legis moralis duplices ſunt: Communes vel proprii. *De uſu legis moralis.*

Communes, ſunt qui ad electos & reprobos ex æquo pertinent.

Súntque tres: 1. Conſervare diſciplinam tam in renatis quàm in non renatis, ídque dupliciter. Primò, quia obligat omnes homines, ut regant locomotivam ſeu externa membra, ut externa facta congruant cum Lege Dei. Secundò, quia ſancit pœnas, etiam corporales in

hac vita, adversus eos qui admittunt externa delicta, quas Deus vel per Magistratum, vel aliis modis sumit de sontibus.

2. Docere cognoscere qualis sit Deus.

3. Docere agnoscere peccata. Rom.3.ut totus mundus reus sit Deo. Per Legem agnitio peccati. Rom.7.7.

Usus legis proprij sunt, qui vel ad electos tantùm vel ad reprobos pertinent.

Usus legis peculiariter ad electos pertinentes sunt.

1. Excitare & augere in electis resipiscentiam.

2. Accendere in electis desiderium quærendi remissionem peccatorum & justitiam in Christo.

3. Incitare & impellere electos ad conatum, perpetuam meditationem & implorationem gratiæ Spiritus Sancti, quo indies magis ac magis ad imaginem Dei renoventur.

4. Excitare & augere in illis desiderium perfectionis, quam assequemur in altera vita.

5. Esse electis normam vivendi seu regulam bonorũ operum: docet enim quæ opera Deo placeant.

Usus legis tantùm ad reprobos pertinentes sunt tres:

1. Reddere ipsos inexcusabiles.

2. Ipsos magis indurare.

3. Pręparare eos ad desperationem.

Hac de Lege Dei perpetua: sequitur de Lege Dei certi temporis.

Lex Dei certi temporis, est quæ tantùm ad certum tempus populo Israelitico præscripta fuit, & adventu Messiæ est abrogata.

Estque vel ceremonialis vel forensis.

De lege Ceremoniali. Lex Ceremonialis, est Lex quę præcipit de ceremoniis, in cultu Dei publico observandis, quæ pertinebant ad erudiendum populum Israeliticum de ratione salutis suæ æternæ per Christum venturum.

De lege forensi. Lex forensis, est lex quę pręcipit de gubernatione politica in populo Iudaico, hoc est, de ordine & officiis magistratuum, judiciorum, pœnarum, contractuum, distinctione dominiorum in hunc finem lata, ut justitia inter

cives

cives & tranquillitas publica vigeat, & Leges Dei à contemptu vindicentur.

Hactenus de Lege Dei: sequitur de Euangelio.

Euangelium, est salutifera doctrina de Christo jam exhibito & manifestato. *De Euangelio.*

CHRISTVS, est unigenitus Filius Dei homo factus propter nostram salutem. Iohan.1,14. 1. Iohan. 4,2. 1.Tim.3,16. *De CHRISTO.*

Cognitionis Christi duæ sunt partes: prima de persona Christi, secunda de ipsius officio.

Persona Christi una est, quia unus est Christus. *De persona Christi.*

Cognitionis personę Christi duę sunt partes, prima de naturis in persona Christi, secunda de statu ipsius.

Naturæ in persona Christi sunt duę, divina & humana.

Ideo Iesus Christus est verus Deus & verus homo in una persona. Rom.1,3,4.&9,5. 1.Ioh.4,2. 1.Tim.3,16. Col.2,9 Heb.2,14,16. Ioh.1.1.

Hæc de naturis in persona Christi: sequitur de ejus statu.

Personæ Christi status duplex est, humiliatio vel exaltatio. Phil.2,7,8,9. Luc.24,26.

Humiliatio Christi, erat ejus status in quo se infra omnes creaturas submiserat. Phil.2,7. *De humiliatione Christi.*

Ejus partes duę sunt, incarnatio & obedientia.

Incarnatio Christi, est pars humiliationis Filij Dei, cùm humanam naturam assumens in carne manifestatus est. Ioh.1,14. 1.Tim.3,16. *De incarnatione Christi.*

Incarnationis Christi partes sunt, tum conceptio Christi de spiritu Sancto, & unio personalis duarum naturarum, tum nativitas.

Conceptio Christi de Spiritu Sancto, est formatio humanę naturę Christi ex carne & sanguine virginis Marię, miraculosa operatione Spiritus Sancti. Matt.1. 18,20. Luc.1,31,35.

Unio personalis duarum naturarum in Christo, est talis earum copulatio, ut una sint persona. 1.Timoth.3,16. *De unione personali.*

Coloss.2,9.Gal.4,4.Heb.2,16.

In hac unione personali tum naturarum distinctio est consideranda: tum unionis effectus.

In personali unione distinctæ manent & inconfusæ naturę, sive earum essentiam, sive proprietates, sive operationes spectes. Rom.1,3,4.&9,5. 1.Tim.3,16. Hebr.9, 14. 1.Pet.3,18.& 4,1.

Sicut ergo in una Christi persona duæ sunt naturæ: sic gemina est mens seu intellectus, gemina voluntas, operatio, sapientia, robur, potentia, virtus, &c. altera divina & increata: altera humana & creata, Luc.2, 52. Marc.11,13.& 13,32. 1 Ioh.2.1,17.Ioh.2,25.& 6,64.& 5, 20. Hebr.1,9. Iohan.1,33.& 4,6. Hebr.1,3.Iohan.2,19. & 10,18.

Et unaquęque natura suas proprietates essentiales retinet & conservat, nec eas alteri naturæ communicat, duabus de causis: prima, est ne naturę misceantur & confundantur: altera, ut in perpetuum maneat discrimen inter naturas. Luc.24,39.

D. Lutherus. Nam confundens proprietates, confundit naturas: & tollens proprietates, tollit naturas.

Hæc de distinctione naturarum in unione personali: sequitur de unionis effectu.

De majestate humanæ naturæ Christi. Unionis effectus duplex est: exaltatio naturę assumtę ad summam & ineffabilem dignitatem & communicatio Idiomatum.

Exaltatio naturę assumtę ad summam & ineffabilem dignitatem, est honor quem persona Filij Dei communicavit naturę assumtę, ita ut eam extulerit supra omnes angelos ac homines, quos remotissimis & inscrutabilibus gradib. supereminet & excellit. Heb.1,4. Matt.28 18. Ioh.17,2. Phil.2,9. Ephes.1,20,22.

Illa exaltatio potissimum in his tribus consistit.

1. In unione personali cum λόγῳ: quia humana natura in unitatem personę Filii Dei est assumta: ita ut sit caro propria æterni Filii Dei. Heb.2,16.

2. In donis, quia habet plenitudinem omnium Spiritus Sancti donorum, quę in creatam naturam possunt cadere, id est, non tantùm aliqua habet, ut reliqui sancti

qui

qui ſecundùm menſuram habent: ſed omnia dona, non ſolùm numero, verùm etiam in excellentiſſimo gradu. Ioh.3,34.

Ea dona humanitati Chriſti data ſunt qualitates creatę: quia ipſa humanitas eſt creata.

Ipſa equidem ſummis & incomprehenſibilibus donis exornata eſt, ſed non evertentibus ipſam et deſtruentibus.

3. In ſocietate officii tum mediatoris inter Deum & credentes, tum capitis Eccleſię, tum judicis totius mundi. Matth.28,18. Philip.2,9. Epheſ.1,20,22. Pſalm.110,1. 1.Tim.2,5. 1.Ioh.2,1.2. Heb.7,25,26,27. & 8,1. et 9,24.

Hac de exaltatione naturæ aſſumtæ: ſequitur de communicatione idiomatum.

De communicatione idiomatum.

Communicatio idiomatum, eſt ſynecdoche quâ de perſona Chriſti dicitur, quod unius naturæ in ea eſt proprium. Iohan.3,13. Act.20,28. 1. Corint.2,8. 1.Ioha. 1,1. et 3,16.

Nam propter unionem perſonalem duarum naturarum, proprietates earum ſunt communes perſonæ.

Habétque communicatio idiomatum locum in concreto, non autem in abſtracto.

Concretum, eſt nomen perſonæ.

Concretum, dicitur nomen de perſona Chriſti intellectum, ut Deus, homo, Chriſtus, Ieſus, Filius Dei, Filius hominis, &c.

Abſtractum eſt nomen naturæ.

Abſtractum, dicitur nomen de altera ſaltem natura in perſona Chriſti intellectum: ut Deitas, humanitas, caro. Ioh.1,14. Semen Abrahę. Hebr.2,16.

Ac ſi pro Abſtracto Concretum interdum uſurpetur, plerumque nota ſeu particula diſtinctionis reſtringens eam ad alteram naturam additur: interdum etiam abſolutè abſque appoſita, ſed tamen ſubintellecta diſtinctionis nota enuntiatur.

Notę diſtinctionis ſunt, ſecundùm, juxta, quoad, in, per, quatenus, & ſi quæ ſimiles ſunt, Roman. 1,3,4. 1.Timoth.3,16. Hebr.9,14. 1.Pet.3,18. & 4,1. Rom.9,5. Act.2,30.

Iiſque notis diſtinctionum ſignificatur proprietas alterius naturæ, quæ de altera natura dici non poſſit.

Quemadmodum ergò rectissimè dicitur de Christo, Deus est natus ex virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, &c. ita rectissimè etiam dicitur de eodem, homo est æternus, ubique præsens, omnipotens, omniscius.

Contrà, quemadmodum impia & blasphema est oratio hæc: Deitas est nata ex virgine, passa sub Pontio Pilato, crucifixa, mortua & sepulta &c. ita impia & blasphema est & oratio hæc: Humanitas Christi est æterna, ubique præsens, omnipotens, omniscia.

Tantum de unione personali.

De nativitate Christi.

Nativitas Christi, est qua ex virgine Maria Bethlehemi in lucem est editus, ut esset noster Salvator. Luc. 2, 4. & seq. Matt. 2, 1, 5.

Sic fuit de incarnatione Christi: sequitur de obedientia ejusdem.

De obedientia Christi.

Obedientia Christi, est altera humiliationis ejus pars, dum patri obediens fuit in omnibus. Vocatur etiam justitia Christi. Esa. 53. Hebr. 5, 8. Tametsi Filius Dei esset, didicit ex his quæ passus est, obedientiam.

Obedientiæ Christi partes duæ sunt: Impletio Legis et persolutio pœnæ pro nostris peccatis.

Legis impletio, est prima obedientiæ Christi pars, qua perfectam totâ virâ legi Dei obedientiam propter nos præstitit. Aliâs dicitur justitia Christi activa: item obedientia sanctæ vitæ Christi.

Persolutio pœnæ pro nostris peccatis, est altera pars obedientiæ Christi, dum pro nobis sustinuit pœnam, quam nos promeriti eramus, ut satisfaceret severissimæ justitiæ Dei pro nobis, ita ut nos non ampliùs obligemur ad pœnam eam sufferendam, cùm Christus eam nostro loco luerit. Aliàs dicitur justitia Christi passiva: vel obedientia passionis & mortis.

Persolutionis pœnæ pro nostris peccatis partes sunt, tum passio & mors: tum sepultura & descensus ad inferos.

Passio

Paſſio Chriſti, eſt pars obedientiæ Chriſti, cùm anima & corpore iram Dei adverſus peccatum ſuſtinuit. Hebr.9,26,28.& 10,11.Dan.9,24,Eſa.53,5. *De paſſione Chriſti.*

Paſſionis Chriſti partes ſunt, tolerantia variorum malorum ſtatim ab ipſa nativitate uſque ad inſtitutionem ſacræ Cœnæ: & ſolennis illa graviſſimáque paſſio in vitæ extremo.

Varia illa mala à nativitate uſque ad inſtitutionem ſacræ Cœnæ, vel corporis fuerunt vel animæ.

Corporis fuerunt tum paupertas & pericula vitæ: tum variæ infirmitates.

Paupertatem ſuſtinuit. Matth.8,20.& 21,1,2.& 27,55. Luc.9,58.ut nos cœleſtibus bonis ditaret,2.Cor.8,9.

Pericula vitæ varia fuerunt, propter quæ tum in exilium abductus eſt. Matth.2,14,15. tum furori hoſtium ſæpe ad tempus ceſſit. Marc.3,6,7.Ioh.7,1.& 11,53,54.

Infirmitates corporis.Hebr.5,2.fuerunt,fames.Matt. 4,2.& 21,18. ſitis.Iohan.4,8. fatigatio.Iohan.4,6. lacrymæ.Iohan.11,35.

Mala animæ fuerunt tum ignorantia & tentationes, tum contriſtatio & ignominia.

Ignoravit enim Chriſtus quædam, donec ſenſu cognoſceret.Matth.11,13. ignoravit diem & horam judicii. Marc.13,32.

Tentationes, fuerunt oppugnationes Diaboli & miniſtrorum ejus, quibus ipſum vel ad peccandum inducere. Matth.4,1. vel confundere & ludibrio exponere. Matth.22,35. vel in periculum vitæ conjicere conabantur.Matth.22,15,16. *De tentationibus Chriſti.*

At ideo tentatus fuit, tum ut iis qui tentantur poſſit ſuccurrere. Hebr.2,17,18. & 4,15. Tum ut ſuo exemplo nos doceret, quomodo tentationibus Diaboli & organorum ejus ſit occurrendum & reſiſtendum.

Contriſtatio, fuit qua anima ipſius triſtis & turbata fuit. Ioh.12,27.

Ignominia fuit multiplex: injuſtæ accuſationes & calumniæ.Matth.12,24.Matth.11,19.opprobria & convitia.Ioh.8,48.

Vilis æſtimatio & neglectus. Marc.6,3,4. rejectio, contemtus,& quidem apud ſuos, Ioh.1,10,11.

Hactenus

Hactenus de malis, quæ perpessus est Christus à nativitate usq; ad extremum & solennem illum passionis actum.

Extremus & solennis ille passionis actus complectitur tum luctam Christi in horto & traditionem, tum judicium.

De lucta Christi in horto.

Lucta Christi in horto fuit, qua terribiliter cum sensu vehementissimo horribilis iræ Dei adversus peccata, & cum maledictionis Dei horrore luctatus fuit. Matth. 26, 37. & seq. Ex qua tandem victor evadens, effecit ut mors non sit amplius nobis formidabilis.

Partes fuerunt, metus & perturbatio animæ.

Metus Christi, erat quòd horrorem illum magis magisque impendentem timuit. Hebr. 5, 7.

Perturbatio animæ fuit contristatio animæ qua dolore, angore & mœrore gravissimè affecta fuit. Matth. 26, 37, 38.

Effecta illius luctæ fuerunt, pathetica precatio & sudor sanguineus.

Pathetica precatio Christi, fuit quâ à Patre translationem horroris illius petivit. Matt. 26, 39, 42, 44.

Sudor Christi sanguineus, fuit quòd sudor ejus quasi grumi sanguinis descenderint in terram. Luc. 22, 44.

Atque hæc de lucta Christi: sequitur de Traditione.

Traditio hæc fuit, quâ à Iuda Iscariote perfido discipulo accepta 30. argenteorum nummorum mercede, principibus Sacerdotum & senioribus populi Iudaici proditus fuit. Matth. 26, 47. & seq.

Tantum de traditione.

In duplex judicium Christus tractus fuit: Sacerdotale & Politicum.

In illo frustra productis falsis testibus, tandem à Caipha per calumniam blasphemiæ condemnatur. Matth. 26, 57. & seq.

Politicum judicium duplex fuit, alterum coram Pilato, alterum coram Herode, à quo Christus fuit remissus

ſus ad Pilatum: qui ipſum tandem ad ſupplicia virgarum & crucifixionis damnavit. Ideo autem eſt damnatus Chriſtus, ut nos à condemnatione æterna redimeret. Supplicium virgarum eſt. Matth. 27,26.

Crucifixio, eſt qua ligno ſeu cruci affixus fuit, ut maledictionem Legis à nobis in ſe derivaret: ſicut ſcriptum eſt: Maledictus qui pendet in ligno. Matth. 27,38. Marc. 15,27. Luc. 23,33. 2. Cor. 13,4. Hebr. 13,12. Iohan. 19,18.

Hactenus de paſſione: ſequitur de morte & iis quæ mortem ſunt conſecuta, nempe ſepultura & deſcenſu ad inferos.

Mors Chriſti, eſt pars obedientiæ ipſius, cùm Patri commendans animam ſuam in cruce expiravit, ad teſtamentum ratum faciendum mortísq; metum ſolvendum. Hebr. 9,15,16,17. & 2,14,15.

De ſepultura Chriſti.

Sepultura Chriſti, eſt qua corpus ejus in novum monumentum impoſitum fuit. Matth. 27,59,60. Marc. 15,46. Act. 13,29. 1. Cor. 15,4.

Fuit Chriſtus ſepultus propter quatuor cauſas:

1. Ut certò conſtaret eum verè mortuum eſſe.
2. Ut noſtra peccata ſecum ſepeliret.
3. Ut cum ipſo ſepeliamur peccato. Rom. 6,4.
4. Ut ſepulchra noſtra ſanctificaret.

De deſcenſu Chriſti ad inferos.

Deſcenſus Chriſti ad inferos, eſt extremus humiliationis Chriſti gradus, cùm detentus fuit in ſepulchro ſub mortis vinculis per tres dies & noctes, acſi planè victus eſſet. Actor. 2,24,27,29,30. Pſal. 16,10. Epheſ. 4,9. Matth. 12,40.

Hujus finis eſt, ut inferni ſtimulum aboleret. 1. Corin. 15,55.

Hactenus fuit de humiliatione Chriſti: ſequitur de ipſius exaltatione.

De exaltatione Chriſti.

Exaltatio Chriſti, eſt ipſius ſtatus in quo ad ſummam & ineffabilem gloriam eſt evectus. Luc. 24,26. Phil. 2,9.

Ea complectitur tum reſurrectionem & manifeſtationem ipſius quadraginta diebus in his terris: tum aſcenſionem in cœlum & ſeſſionem ad dexteram Dei Patris.

Reſurrectio

De resurrectione Christi.

Resurrectio Christi, est qua morte ejúsque dominio subactis, divinâ suâ potentiâ tertio die resurrexit ex mortuis, & in æternum Deo vivit. 2.Cor.13,4. 1,Petr.3, 18. Rom.6,9,10.& 14,9.

Finis & usus resurrectionis Christi quadruplex est.

1. Quòd sua resurrectione mortem devicit, ut nos posset ejus justitiæ, quam nobis sua morte pepererat, participes facere. Rom.4,25. 1.Pet.1. 1.Thess.1,10,3, 4,5,21. 1.Cor.15,16,17,54,55.vel quòd redemtionem & justitiam morte partam resurrectione sua nobis plenè ratam fecit.

2. Quòd victo diabolo & morte, mortuis & vivis dominatur.Rom.14,9.

3. Quòd nos jam quoque ejus potentia ad novam vitam excitamur.Rom.6,4.Coloss.3.1.Ephes.2,5.

4. Quòd resurrectio capitis nostri, nobis glorioseę resurrectionis nostræ pignus est. 1.Corinth.15,12,13,14. Rom.8,11.

Conversatio Christi dies quadraginta in terris post resurrectionem ideo facta est, ut resurrectionis suæ fidem amplissimam faceret: ita ut nemo de ea dubitare posset.Act.1,3.

De ascensione Christi in cœlum.

Ascensio Christi in cœlum, est qua corpore visibiliter è terra elevatus, & sursum receptus est in cœlum. Marc. 16,19.Act.1,9.Ioh.14,2.

Cœlum in quod ascendit Christus.

Cœlum in quod ascendit Christus & in quod nos assumet, ipso Christo docente. Ioh.14,2.est domus Patris cœlestis, in qua multæ sunt habitationes, thronus Dei, locus gaudij: éstque non ubique, sed in altissimis. est locus.2.Chron.6,21.

Ideo corpus Christi jam non in terra, nedum ubique, sed in cœlo esse credimus. Act.3,21. attamen Christus erit nobiscum usque ad finem mundi sua deitate, gratiâ & Spiritu. Matth.28,20.

Ascensionis Christi finis est triplex.

1. Quòd in cœlo apud Patrem pro nobis intercedit. Hebr.9,24.& 10,19. 1.Ioh.2,1. Rom.8,34.

2. Quòd carnem nostram in cœlo habemus, ut eo tanquam

tanquam certo pignore confirmemur, fore ut ipſe qui caput noſtrum eſt, nos ſua membra ad ſe extollat. Ioha. 14,2. & 20,17. Eph. 2,6. vel: Quòd nobis locum parat, ut ubi ipſe eſt, nos quoque ſimus.

3. Quòd Eccleſiam Spiritu ſuo & virtute ineffabili implet, doniſque variis exornat. Ioh. 14,16. & 16,7. Eph. 4,10. 11. Pſal. 68. 19. vel: Quòd nobis Spiritum Sanctum mutui pignoris loco mittit.

Hactenus fuit de aſcenſione Chriſti: ſequitur de ſeſſione Chriſti ad dexteram Dei Patris.

De ſeſſione Chriſti ad dexteram Dei Patris.

Seſſio Chriſti ad dexteram Dei Patris, eſt ſummus gradus gloriæ Chriſti, dum omnem poteſtatem in res creatas univerſas in cœlo & in terra poſſidet, ut per ipſum Pater omnia immediatè agat & gubernet. Pſa. 110. Act. 2,30. & 3,21. & 7,56. 1. Cor. 15,27. Epheſ. 1,20. Philip. 2,9. Hebr. 1,34. Matth. 28,18.

Ea tribuitur perſonæ, i. non ſeorſim alteri naturæ Chriſti, ſed ipſi Chriſto Θεανθρώπῳ.

Nam cùm per eam officium Chriſti regium denotetur, de tota perſona, ſeu de utraque natura accipi debet.

Conſedit autem Chriſtus ad dexteram Dei Patris non ubique, ſed quemadmodum diſertè teſtatur Scriptura, IN COELIS. Hebr. 8,1,4. Epheſ. 1,20. Coloſſ. 3,1. Act. 3,21. Hebr. 1,3.

Idque non priùs, quàm poſt aſcenſionem. Mar. 16,19. 1. Pet. 3,22.

Diſcrimen inter aſcenſionem & ſeſſionem Chriſti ad dexteram Patris.

Eſtque aliud aſcenſio Chriſti in cœlum, aliud ſeſſio ad dexteram Dei Patris. 1. Quia hæc eſt illius finis: ideo enim Chriſtus aſcendit ad cœlos, ut ſederet ad dexteram Patris.

2. Quia perpetuò Chriſtus ſedet ad dexteram Patris: at ſemel tantum ad cœlos aſcendit.

3. Quia nos quoque aſcendemus in cœlum, nec tamen ſedebimus ad dexteram Dei.

Hactenus fuit de perſona Chriſti: ſequitur de ipſius officio.

De officio Chriſti.

Officium Chriſti, eſt omnia electis conferre, quæ ad æternam ſalutem requiruntur.

Officium

Officium hoc utriusque est naturæ in Christi persona Ioh.6,3,53.Heb.9,14.Act.20,28.

De apotelesmatibus mediatoris.

Utque officium vtriusque est naturæ: ita etiam ἀποτελέσματα, id est, opera officii tribuuntur Christo secundùm utramque naturam. Hebr.3,2,3,4,5,6.& 9,14. Actor.20,28.

At in cujuslibet ἀποτελέσματος seu operis effectione alia competunt divinæ, alia humanæ naturæ. 1.Pet.1,18. & 2,24. & 3,18.

Etsi enim quodlibet ἀποτέλεσμα seu opus mediatoris unum est, quia unica Mediatoris persona: tamen ad id ἀποτέλεσμα efficiendum duæ ἐνέργειαι, id est, actiones concurrunt, deitatis & humanitatis, agente deitate, quæ divina sunt, & humanitate quæ humana sunt. Sicut hominis aliquod opus unum est: sed in eo producendo & animæ & corporis actio concurrit, anima agente quæ animæ sunt: & corpore agente, quæ corporis sunt.

Ac ut naturæ earúmque proprietates distinctæ manent: ita etiam naturarum actiones & operationes, ita ut distinctè agat utraque quod illi proprium est, verbo scilicet operante, quod verbi est: & carne exequente quod carnis est.

Officium Christi est triplex: Propheticum, Sacerdotale, & Regium. Psal.110.Heb.7,2,3.& 13,20.

De prophetico officio Christi.

Propheticum officium Christi, est totum Dei verbum hominibus perfectè revelare. Heb.1,1.Iohan.1,16, 17,18.Esa.61,1.

Propterea dicitur summus Propheta, & Doctor & Apostolus nostræ confessionis. Hebr.3,1.

Ejus partes duæ sunt: Rerum futurarum prædictio & doctrina.

Doctrinæ partes duæ sunt: Patefactio Euangelii, & vera legis interpretatio.

Patefactio Euangelii, est prima doctrinæ Christi pars, dum arcanum consilium omnémque voluntatem Patris de redemtione nostri patefecit. Ioh.1,18. & 15, 15.Matth.11,27.

Vera legis interpretatio, est altera doctrina Christi pars, dum veram Legis divinæ sententiam exposuit. Matth.5,20.& seq.

Hæc

Hæc de prophetico officio Christi: sequitur de sacerdotali.

Sacerdotale officium Christi, est sacerdotis opera peragere. Heb. 5, 10. *De Sacerdotio Christi.*

Ejus duæ sunt partes: expiatio peccati & intercessio apud Deum.

Expiatio peccati, est prima sacerdotalis officii Christi pars, dum Christus offerens Deo Patri unicum sacrificium sui corporis pœnam pro peccatis electorum persolvit, ad redimendum illos ab omni potestate Diaboli. 1, Pet. 2, 24. & 3, 18. Esa. 53, 12. 1. Ioh. 2, 2. Rom. 3, 25. Hebr. 10, 12. vnde & Redemtio dicitur. Item satisfactio pro peccatis. *De expiatione peccati.*

Fitque dupliciter: Merito & efficacia.

Meritum Christi, est plena satisfactio pro peccatis nostris, sufficiens pro omnibus hominibus totius mundi, si omnes eam fide acciperent. *De merito Christi.*

Efficacia Christi, est per quam revera confert credentibus beneficia merito suo ipsis parta, ut remissionem peccatorum, regenerationem, Spiritum Sanctum & vitam æternam, eáque in ipsis conservat, & perseverantiâ eos donat, ne excidant gratiâ.

Ita fuit de expiatione peccati: sequitur de Intercessione apud Deum.

Intercessio apud Deum, est altera sacerdotalis officii Christi pars, dum perpetuâ sacrificii sui memoriâ efficit, ut Pater nos in gratiam recipiat. *De intercessione apud Deum.*

Hactenus dictum est de sacerdotali officio Christi: sequitur de officio ejus regio.

Regium officium Christi, est quòd ipse tanquam caput Ecclesiam regit. Psalm. 2, 6. Luc. 1, 33. Matth. 28, 18. Ioh. 10, 28. *De regio officio Christi.*

Idque exercet duobus modis: altero, si Ecclesiam per se spectes: altero, si Ecclesiæ hostes.

Si Ecclesiam per se spectes, dupliciter regium officium exercet.

1. Quòd

1. Quòd per ſuum Sanctum Spiritum in nos ſua membra cœleſtia dona effundit. Eph. 4, 10, 11, 12.

2. Quòd nos ſuo verbo & Spiritu regit. Si Eccleſiæ hoſtes ſpectes, etiam dupliciter regium officium Chriſtus exercet.

1. Quòd nos nobísque partam ſalutem ſua potentia contra hoſtes noſtros tuetur & conſervat & potenter liberat. Pſal. 2, 9. & 110, 1. 2. Ioh. 10, 28, 29, 30. Epheſ. 4, 8.

2. Quòd hoſtes debellat, donec tandem nos plenè ac integrè ab illis aſſeret.

Hæc hoſtium debellatio duplex eſt.

1. Quòd omni poteſtate privat quoſdam hoſtes, quantumvis potentes & ſuperbos, ut Satanam & impios omnes.

2. Quòd alios prorſus abolet, ut mortem. 1. Corinth. 15, 26.

Atque hæc de revelatione doctrinæ: ſequitur de prædictione rerum futurarum.

De prædictione rerum futurarum.

Prædictio rerum futurarum, eſt patefactio voluntatis divinæ, quâ quæ futura eſſent, Deus prædicere voluit, quatenus ea ſcire noſtrâ intereſſet.

Eáque vel juramento Dei eſt munita, vel eſt nuda.

Iuramentum Dei, eſt confirmatio denunciationis futurorum, non quòd denunciatio ea ſit dubia, ſed quòd infirmitati noſtræ de Deo ex hominum moribus judicanti conſuli ita Deus velit, ut ſi cui non ſufficiant verba Dei nuda, ſufficiant juramenta.

Taulerus: O beatos, quorum cauſâ Deus jurat: ô miſeros, qui ne juranti quidem Deo credunt.

Prædictio nuda, eſt quæ quidem nullum juramentum habet adjunctum, ſed tamen tam certa eſt ac ſi à Deo jurato facta eſſet. Ideo eleganter dixit Philo, omnia verba Dei eſſe juramenta, quoad certitudinem, neque ulla confirmatione indigere, ut quorum veritas effectu ipſo, quaſi nativæ lucis ſplendore emiſſo ſeipſam comprobet ac tueatur.

Rurſus prædictio rerum futurarum vel abſoluta eſt vel conditionalis.

Abſoluta,

Absoluta, quæ omni conditione caret: Estque prophetia seu vaticinium.

Prophetia seu vaticinium, est revelatio mysteriorum seu arcanorum, quæ suo tempore sunt eventura. Tales fuerunt multæ prædictiones prophetarum, Christi de sua passione, morte & resurrectione, de eversione Hierosolymorum, de fine mundi, de Pseudoprophetis, Agabi de futura peste, Pauli de restitutione Iudæorum, de Antichristo, &c.

Hucusque de absoluta rerum futurarum prædictione.

Prædictio rerum futurarum conditionalis, est cui annexa est certa conditio, quæ si adsit, res prædictæ fiunt.

Estque vel promissio vel comminatio.

Promissio Dei, est denunciatio futurorum bonorum, quæ Deus nobis dare vult, si nos etiam præstiterimus quæ à nobis requirit, seu si satisfecerimus conditioni, quam nobis proponit.

Promissio Dei vel spiritualis est vel corporalis.

Promissio spiritualis, est quâ Deus bona spiritualia se daturum denunciat.

Promissio corporalis, est quâ Deus bona corporalia se daturum denunciat, quatenus saluti nostræ expediat.

Rursus promissio vel legalis est vel Euangelica.

Promissio legalis, est promissio quam lex proponit, habens annexam conditionem perfectæ obedientiæ.

Lex enim ad vnguem jubet conditionem impleri, neque aliter promissa persolvit, nisi conditio integrè præstita fuerit.

Perfecta igitur impletio conditionis à lege imperatæ meriti rationem habuisset & causa fuisset consecutionis præmiorum, quæ lex promittit.

Sed perfecta impletio conditionis legalis ab hominibus peccato corruptis præstari non potest.

Promissio legalis etsi conditionem habet adjunctam naturæ corruptæ impossibilem: tamen non est inutilis

aut ludificatoria. Nam conditio impossibilis ideo est adjecta, ut homines suæ infirmitatis admonerentur, eáq; penitus intellecta, se conferrent ad Christum, à quo recepti in gratiam & adepti jam justificationem, illa eadem promissa possent obtinere.

Promissio Euangelica, est promissio quam Euangelium proponit, habens annexam conditionem fidei.

Euangelium enim promittit remissionem peccatorum & vitam æternam, sed tantùm credentibus.

Promissio Euangelica, est universalis sed credentibus: omnes enim qui credunt in Christum, accipiunt remissionem peccatorum & vitam æternam. Act. 10,43. Iohan. 3,16.

Ad incredulos verò non pertinet.

Tantum de promissione: sequitur de comminatione.

Comminatio, est denunciatio futurorum malorum, quibus Deus vel suos castigare vel impios punire se velle pronunciat, nisi resipuerint.

Annexa est igitur conditio resipiscentiæ.

Comminatio etiam vel spiritualis est vel corporalis.

Comminatio spiritualis, est quâ Deus mala spiritualia se immissurum denunciat.

Comminatio corporalis, est quâ Deus mala corporalia se immissurum denunciat.

Hactenus fuit de supernaturali patefactione voluntatis Dei: sequitur de vocatione.

Vocatio est opus specialis providentiæ Dei, quo homines ad certum finem Deus vocat. Matth. 22,9. 1. Cor. 1,9. 1. Tim. 2,4.

Estque vel ad Christum vel ad munus aliquod.

Vocatio ad Christum, est vocatio per quam nos Deus ad Christum invitat, ut per ipsum vitam æternam consequamur.

Estque duplex, externa vel interna.

Externa

Externa vocatio, est vocatio quæ fit per ministros verbi Dei.

Estque duplex, efficax vel inefficax. Matth. 22, 2.

Efficax, est electorum, in quorum cordibus verbum prædicatum insidet.

Vocatio inefficax, est reproborum, in quorum cordibus verbum Dei vel non invenit locum vel evanescit: ita ut illud sit ipsis in mortis odorem & gravioris condemnationis materia.

Tantum de externa vocatione: sequitur de interna.

Interna vocatio, est vocatio quæ fit per Spiritum Sanctum, per quem nos Pater trahit & Filio donat. Iohan. 6, 37, 44. & 17, 11.

Hucusque de vocatione ad Christum: restat de vocatione ad munus aliquod.

Vocatio ad munus aliquod, est separatio personæ idoneæ ad certum officium. Rom. 1. 1.

Hactenus de vocatione: sequitur de fœdere divino.

Fœdus divinum, est pactum quod Deus cum hominibus fecit, in quo Deus hominibus promittit aliquod bonum, & ab iisdem vicissim requirit ut præstent ea quæ ipsis præcipit.

Idque duplex est, vel æternum vel temporale.

Fœdus æternum, est fœdus, in quo Deus hominibus sempiternam vitam promittit.

Estque duplex, fœdus operum vel fœdus gratiæ.

Fœdus operum, est pactum Dei cum homine initum de æterna vita, cui annexa est tum conditio perfectæ obedientiæ ab homine præstandæ: tum comminatio mortis æternæ, si non præstiterit obedientiam perfectam. Gen. 2, 17.

Repetitio fœderis operum à Deo facta est. Exo. 19, 5. Fœdus cū Mo-

aut ludificatoria. Nam conditio impossibilis ideo est adjecta, ut homines suæ infirmitatis admonerentur, eáq; penitus intellecta, se conferrent ad Christum, à quo recepti in gratiam & adepti jam justificationem, illa eadem promissa possent obtinere.

Promissio Euangelica, est promissio quam Euangelium proponit, habens annexam conditionem fidei.

Euangelium enim promittit remissionem peccatorum & vitam æternam, sed tantùm credentibus.

Promissio Euangelica, est universalis sed credentibus: omnes enim qui credunt in Christum, accipiunt remissionem peccatorum & vitam æternam. Act. 10,43. Iohan. 3,16.

Ad incredulos verò non pertinet.

Tantum de promissione: sequitur de comminatione.

Comminatio, est denunciatio futurorum malorum, quibus Deus vel suos castigare vel impios punire se velle pronunciat, nisi resipuerint.

Annexa est igitur conditio resipiscentiæ.

Comminatio etiam vel spiritualis est vel corporalis.

Comminatio spiritualis, est quâ Deus mala spiritualia se immissurum denunciat.

Comminatio corporalis, est quâ Deus mala corporalia se immissurum denunciat.

Hactenus fuit de supernaturali patefactione voluntatis Dei: sequitur de vocatione.

Vocatio est opus specialis providentiæ Dei, quo homines ad certum finem Deus vocat. Matth. 22,9. 1. Cor. 1,9. 1. Tim. 2,4.

Estque vel ad Christum vel ad munus aliquod.

Vocatio ad Christum, est vocatio per quam nos Deus ad Christum invitat, ut per ipsum vitam æternam consequamur.

Estque duplex, externa vel interna.

Externa

Externa vocatio, est vocatio quæ fit per ministros verbi Dei.

Estque duplex, efficax vel inefficax. Matth. 22, 2.

Efficax, est electorum, in quorum cordibus verbum prædicatum insidet.

Vocatio inefficax, est reproborum, in quorum cordibus verbum Dei vel non invenit locum vel evanescit: ita ut illud sit ipsis in mortis odorem & gravioris condemnationis materia.

Tantum de externa vocatione: sequitur de interna.

Interna vocatio, est vocatio quæ fit per Spiritum Sanctum, per quem nos Pater trahit & Filio donat. Iohan. 6, 37, 44. & 17, 11.

Hucusque de vocatione ad Christum: restat de vocatione ad munus aliquod.

Vocatio ad munus aliquod, est separatio personæ idoneæ ad certum officium. Rom. 1. 1.

Hactenus de vocatione: sequitur de fœdere divino.

Fœdus divinum, est pactum quod Deus cum hominibus fecit, in quo Deus hominibus promittit aliquod bonum, & ab iisdem vicissim requirit ut præstent ea quæ ipsis præcipit.

Idque duplex est, vel æternum vel temporale.

Fœdus æternum, est fœdus, in quo Deus hominibus sempiternam vitam promittit.

Estque duplex, fœdus operum vel fœdus gratiæ.

Fœdus operum, est pactum Dei cum homine initum de æterna vita, cui annexa est tum conditio perfectæ obedientiæ ab homine præstandæ: tum comminatio mortis æternæ, si non præstiterit obedientiam perfectam. Gen. 2, 17.

Repetitio fœderis operum à Deo facta est. Exo. 19, 5. Fœdus est Mo-

Sic est fœdus operum.

Deut.5,2. 1.Reg.8,21.Hebr.8,9. ídque prǽcipuè quatuor de cauſis.

Prima, ut Deus homines omnibus rationibus excitaret ad obedientiam prǽſtandam.

Altera, ut omne os obturetur & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei propter non prǽſtitam perfectam obedientiam. Rom.3,19.

Tertia, ut peccatum ejúsque malitiam patefaceret. Rom.3,19,20.&7,7,8,9,10,11.

Quarta, ut nos ad inſtaurationem in fœdere gratuito quǽrendam impelleret.Galat.3,22.&5,23.

Tantum de fœdere operum: ſequitur de fœdere gratiæ.

De fœdere gratiæ.

Fœdus gratiæ, eſt reconciliatio electorum cum Deo per mortem unici Mediatoris. Rom.8,30. 2.Cor.5,17, 18,19,20,21.Hebr.9,15.

Mediator.

MEDIATOR ille unicus, eſt Dominus Ieſus Chriſtus, qui ſolus nos Patri ſuo reconciliat, ſatisfactione ſuâ & merito.Gen.3,15.&11,35. Galat.3,12,13,14.Gen. 15,18.&17,2,10,11. Exod.2,24. Exod.6,4. epiſtola ad Hebr. cap.7,8,9. & 10. Fœdus cum Abrahamo initum eſt fœdus gratiæ.Act.Apoſt 3,25.

Fœdus gratiæ dicitur etiam Teſtamentum, quia interveniente morte teſtatoris Chriſti facta eſt hǽc reconciliatio, ut eſſet rata.Heb.9,16,17.Reconciliationem cum Patre cœleſti nobis Chriſtus acquiſivit ſua morte & ſimul nobis eam reliquit, non ſecus ac parentes morientes bona ſua relinquunt liberis.

Illúdque perpetuò unum idémque eſt, ſi ſubſtantiam ejus ſpectes: quemadmodum una eſt omnium ſeculorum Eccleſia,una ſanctorum vera fides & religio: unus Deus,unus Mediator Chriſtus, unicum ſacrificium pro peccatis,unica orbis juſtitia & redemptio,una omnibus mundi ætatibus ratio adipiſcendi ſalutem, nempe per fidem in Chriſtum. Heb.13,8.Apoc.13,8.1.Tim.2,5.Ro. 12.&4,3.Epheſ.1,10.Rom.9,5. Coloſſ.1,18. Epheſ.2,21. Act.4,2.Matt.11,27.Ioh.14,6.Luc.10,24. Ioh.8,56. Gen. 3,15.&22,18.

At è circumstantiis vetus vel novum dicitur.

Vetus testamentũ seu fœdus, dicitur quia ante Christum in carne exhibitum fidelibus variis umbris & figuris fuerit velatum. Genes. 12,7. Hebr. 9,4,18. Exod. 24.8.

Novum testamentum seu fœdus dicitur, quòd per ipsum Christum in carne exhibitum fidelibus clarè sit manifestatum. Hebr. 8,6.

Ergo fideles in veteri Testamento Christum adhuc velatum in typo habebant, imò veriùs exhibendum expectabant: nos autem reipsa exhibitum complectimur.

Illi habebant figuras, nos ipsam rem: illi externis & ceremonialibus gaudebant, nos spiritualibus significatisque rebus citra typos exultamus. Ier. 31,31. Matth. 26, 28, 1. Cor. 11,25. Heb. 8,9,10. & cap. 9. & 10.

Fœderis gratiæ duæ sunt partes: promissio gratiæ, & restipulatio bonę conscientiæ. Illa est ex parte Dei, hęc ex parte fidelium. Hebr. 8,10,11,12.

De promissione gratiæ.

Promissio gratiæ, est prima fœderis gratiæ pars, qua Deus gratuitò promittit beneficia sua per Christum parta omnibus qui in Christum credunt.

Beneficia per Christum nobis parta & in Euangelio promissa, sunt donatio Spiritus Sancti, communio cum Christo & conservatio in hac communione, & donatio vitæ æternę.

De donatione Spiritus Sancti.

Donatio Spiritus Sancti, est beneficiũ Dei, per quod nobis donat Spiritum Sanctum, qui nos Christi & omnium beneficiorum ipsius participes faciat.

Cognitionis Spiritus Sancti duę sunt partes, prima de personâ Spiritus Sancti, secunda de officio ipsius.

Si personam ejus spectes, est verus Deus, æqualis Patri & Filio. Act. 5,3,4. Genes. 1,2. Matth. 28.19. Marc. 16,15.

Officium verò Spiritus Sancti, est quòd per eum Pater & Filius virtutem suam exerunt & suę voluntatis decreta exequuntur in creandis, sustentandis & movendis rebus omnibus, præcipuè verò in movendis cordibus audientium verbum Dei, & sanctificandis ac vivificandis electis vitâ æternâ.

Hæc de donatione Spiritus Sancti: sequitur de communione cum Christo.

De communione cum Christo.

Communio cum Christo, est beneficium Dei, dum Christum ipsum ejúsque meritum credentibus donat, ut vitam æternam in ipsis efficaciter operetur. Ioha 3, 16. Rom.8,32.

Ea dicitur etiam conjunctio, unio, coalitio cum Christo, insitio in Christum, manducatio carnis Christi, bibitio sanguinis Christi. Ἀνακεφαλαίωσις, id est, reductio sub unum caput, conjunctio in unum corpus sub uno capite Christo. Eph.1,10. Ablutio sanguine Christi, vivificatio nostri, excitatio nostri ex mortuis, collocatio nostri in cœlis unà cum Christo. Ephes.2,5.6.

Est autem una & eadem omnium sanctorum communio cum Christo, nempe tantùm spiritualis. Non est corporalis ingressus aut mansio Christi intra sanctorũ corpora. Neque Christus in aliis habitat spiritualiter, in aliis etiam corporaliter: sed in omnibus credentibus tantùm spiritualiter. Fítque per Spiritum Sanctum, qui per fidem omnes pios ac fideles cum Christi carne, licet in cœlo evecta ac manente, verè tamen conjungit ac coadunat. 1. Cor. 12,13. Omnes per unum spiritum in unum corpus baptizati sumus, & omnes una potatione potati sumus in unum Spiritum. unus enim & idem Spiritus in omnibus Baptismis, in omnibus sacris Cœnis id facit, ut nos unum cum Christo simus illíque conjungamur spiritualiter. Eph.3,12. Habitat per fidem in cordibus nostris. Eph.4. unum corpus & unus spiritus. 1. Ioh.4. In hoc cognoscimus, nos in ipso manere & ipsum in nobis, quòd de Spiritu suo dedit nobis. Rom.8. Si Spiritus ejus, qui excitavit Iesum ex mortuis, habitat in vobis, qui excitavit Iesum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra propter inhabitantem ipsius Spiritum in vobis.

Irenæus lib. 3. cap. 19. Sicut de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis: ita nec nos multi unum fieri in Christo Iesu poteramus, sine aqua quæ de cœlo est.

Contin-

Contingítque ſolis & omnibus electis & credentibus, inde ab initio uſque ad finem mundi. 1. Ioh. 3, 24. & 1. Ioh 4, 13. Ioh. 14, 23. & 15, 1, 2, 3, 4, 5, 6.

Communionis cum Chriſto partes ſunt: Iuſtificatio & Regeneratio: Adoptio & libertas filiorum Dei.

De juſtificatione.

Iuſtificatio, eſt beneficium Dei per quod ab ipſo in gratiam recepti pro juſtis habemur. Rom. 5, 19. Eph. 2, 8, 9. Rom. 3. & 4. & 5. Ejus partes duæ ſunt, remiſſio peccatorum & imputatio juſtitiæ Chriſti.

De remiſſione peccatorum.

Remiſſio peccatorum, eſt beneficium Dei, quo & culpam & pœnas æternas peccatis promeritas nobis condonat. 2. Cor. 5, 19, 21. Ier. 31, 34. Pſal. 103, 3, 10, 12. Rom. 7, 24. & 8. 1, 2, 3.

Remiſſionis peccatorum duę ſunt partes: remiſſio culpæ & remiſſio pœnæ æternæ.

Una igitur remiſſione remittitur utraque, culpa & pœna æterna. Id enim requirit iuſtitia Dei, quia Chriſtus ſatisfecit pro utraque, pro culpa & pœna. Injuſtus ergo eſſet Deus, ſi culpam nobis tantùm remitteret, & non etiam pœnam. Errant igitur Pontificii, qui contendunt tantùm culpam remitti, non etiam pœnam, pro qua volunt ſatisfacere debere homines, cùm nullo modo poſſint, ſed Chriſtus plenè ſatisfecerit.

De imputatione juſtitiæ Chriſti.

Imputatio juſtitiæ Chriſti, eſt beneficium Dei, quo Deus dignatur Chriſti obedientiam, quâ pœnas peccati pro nobis ſuſtinuit, noſtram ducere, perinde ac ſi nos ipſi illas pœnas pro peccatis ſuſtinuiſſemus. Eſa. 53, 3, 4, 5. Rom. 4, 3, 5. Rom. 5, 11, 18. Col. 1, 22. 2. Cor. 5, 19, 21.

Sic fuit de juſtificatione: ſequitur de Regeneratione.

De regeneratione.

Regeneratio, eſt beneficium Dei, per quod noſtra corrupta natura ad imaginem Dei per Spiritum Sanctum renovatur. 2. Pet. 1, 4. Tit. 3, 5. Galath. 4, 6. 2. Corinth. 3, 17.

Eadem etiam ſanctificatio dicitur, item donum per gratiam. Rom. 5. item infuſa gratia à ſcholaſticis.

Regeneratio eſt vel inchoata vel conſummata: illa hujus vitæ eſt, hæc futuræ.

Regenerationis considerari debent tum partes, tum perpetua adjuncta.

Regeneratio tum animæ est, tum corporis. 1. Thess. 5,23.

Regeneratio animæ, est qua animæ facultates renovantur. Tit. 3,5. Gal. 4,6.

Regenerationis animæ duæ sunt partes: illuminatio & resipiscentia.

Ut animæ duę sunt partes, intellectus & voluntas: ita etiam in iisdem duabus partibus fit regeneratio. Illuminatio intellectus est: resipiscentia voluntatis. Sic Paulus ait, in regeneratione renovari imaginem Dei ad agnitionem conditoris. Coloss. 3. & ad justitiam & sanctitatem veram. Eph. 4,23.

De illuminatione seu unctione Spiritus Sancti.

Illuminatio, est prima regenerationis animæ pars, quâ mens nostra dispulsis naturalibus tenebris illustratur vera cognitione adipiscendi vitam æternam. Psal. 16,11. Col. 3. Rom. 12,2.

Eadem etiam unctio Spiritus Sancti dicitur.

Illuminationis duę sunt partes: σοφία καὶ σύνεσις, id est, spiritualis sapientia & prudentia.

Sapientia spiritualis, est salutaris cognitio fidei & mysteriorum salutis, cum fiducia in Christum conjuncta. Ephes. 1,17,18.

Prudentia spiritualis, est salutaris cognitio rerum Lege Dei præceptarum vel veritarum, cum illarum studio, harum autem fuga conjuncta.

Tantum de illuminatione: sequitur de resipiscentia.

De resipiscentia.

Resipiscentia, est altera regenerationis animæ pars, quâ voluntas nostra renovatur, ut non ampliùs velit malum, sed tantùm bonum. Rom. 6,4,5,6. Eph. 4,22,23, 24. 2. Cor. 5,7. Philip. 2,13. Dicitur etiam pœnitentia & conversio ad Deum per synecdochen partis: illo quidem nomine à prima parte: hoc verò à posteriore parte.

Eáque non proficiscitur à nostro libero arbitrio quod peccato amissum post lapsum nullum est ad bonum, atque

que inprimis ad ſalutem æternam. Gen.6,5. Sed eſt donum Dei.

Partes ejus duæ ſunt: mortificatio veteris hominis & vivificatio novi.

De mortificatione veteris hominis.

Mortificatio veteris hominis, eſt prima reſipiſcentiæ pars, qua peccatum in nobis aboletur. Rom.6,4,5,6. Col. 3,5,6,7,8,9,10. Rom.8,13. Dicitur etiam abnegatio noſtri. Item depoſitio veteris hominis. Col.3,9,10.

Ejus partes ſunt, peccati tum agnitio & confeſſio tum deteſtatio & odium, deinde contritio ſalutaris.

Agnitio peccati, eſt cum agnoſcimus nos peccaſſe. Iere.3,2,13.

De confeſſione peccati.

Confeſſio peccati, eſt qua apertè teſtificamur nos peccaſſe & Deum offendiſſe. 1.Reg.8,47. 2.Sam. 12,13. 2.Sam.24,10. Eáque vel privata eſt vel publica.

Privata, eſt quę privatim fit à quolibet etiam intra privatos parietes. Eáque vel ſoli Deo vel homini. Homini vel miniſtro verbi vel amico fideli.

Publica, eſt quę fit publicè cum tota Eccleſia.

Publica confeſſio vel eſt totius Eccleſiæ: vel vnius aut plurium coram Eccleſia.

Deteſtatio peccati, eſt qua peccata à nobis admiſſa & nos ipſos propter peccata accuſamus & damnamus. 1.Cor.11,31. Si nos ipſos dijudicaremus, non judicaremurà Domino.

Odium peccati, eſt perpetua fuga peccati. Odiſſe enim, eſt averſari, fugere. Nehem.9,35. Ierem.36,3. Ezech.14,6.

Contritio ſalutaris, eſt verus payor & dolor conſcientiæ propter admiſſa peccata, quibus Deum offendimus, cum vero odio peccati conjuncta. Eſa.66,2. 2.Cor.7,11. Ioel.2,12,13. Deut.4,29. Ionæ 3,8. 2.Reg.22,19.

Hactenus de mortificatione veteris hominis: ſequitur de vivificatione novi.

De vivificatione novi hominis.

Vivificatio novi hominis, eſt altera reſipiſcentiæ pars, qua nova ſpiritualis vita in nobis excitatur. Galat. 2,19. Rom.6,10,11.

Eadem

Eadem appellatur noſtra cum Chriſto reſurrectio.

Vivificationis duæ ſunt partes: Conſolatio conſcientiæ, & gubernatio ſpiritualis.

Conſolatio conſcientiæ, eſt vera contritę conſcientiæ lætitia in Deo per Chriſtum fide accepta remiſſione peccatorum. Pſa. 51, 10, 14. Rom. 5, 1. Eſa. 57, 15, 16, 17, 18. & 61, 1. Eſa. 49, 13.

Gubernatio ſpiritualis, eſt altera vivificationis pars, quâ Deus regeneratos ſpiritu ſuo ducit in recta via ſuorum mandatorum, ita ut non ampliùs peccato, ſed Deo vivant & nova vita ambulent. Rom. 6. cap. toto, item 7. & 8. ubi prolixè de ſanctificatione ſeu regeneratione agit. Hanc gubernationem ſpiritualem ſepiſſimè orat David à Deo, præcipuè. Pſal. 119, 33, 34, 35. & paſſim per totum Pſalmum. Sic. Pſal. 25, 8, 9, 10.

Atque hæc fuerunt de regeneratione animæ: ſequitur de regeneratione corporis.

De regeneratione corporis.

Regeneratio corporis, eſt per quam corpus redditur obediens Spiritui regenerato. Rom. 12, 1.

Ideo ipſius quoque eſt & mortificatio & vivificatio. Rom. 6, 12. & ſeq.

Eius partes duæ, frenatio affectuum & rectio locomotivæ.

Frenatio affectuum, eſt prima regenerationis corporis pars, per quam domantur affectus, ut rationi regeneratæ obtemperent.

Rectio locomotivæ, eſt altera regenerationis corporis pars, per quam omnia membra corporis reguntur, ne impulſa à reſiduis pravis cupiditatibus aliquid faciant contra conſenſum mentis & voluntatis regeneratę.

Regenerationis teſtimonium eſt, ſancta & juſta vita.

Quàm multi ſunt, qui ſcelerata ſua vita ſe non eſſe regeneratos, apertè demonſtrant.

Homo integer & depravatus, renatus & non renatus differunt λόγῳ, non τῷ εἶναι ſeu ὑποκειμένῳ.

Hactenus

Hactenus dictum est de partibus regenerationis: restant perpetua ejus adjuncta.

Regenerationi perpetuò adiuncta est spiritualis militia, seu pugna & victoria Sanctorum.

Spiritualis militia seu pugna, est pugna regenerati hominis, qua contra fraudes Diaboli, pessima mundi exempla, carnisque propriè irritationes, tanquam peccati causas pugnat, ejsque fortiter resistit. Rom.7,8. & seq. Gal.5.16,17. *De spirituali militia.*

Victoria sanctorum, est victoria qua sancti, insidias Diaboli, mundi & propriæ carnis per Christum vincunt.

Hactenus de regeneratione: sequitur de adoptione & libertate filiorum Dei.

Adoptio, est beneficium Dei, per quod nos propter Christum in filios recipit, & hæredes cœli æternæque vitæ cum ipso facit. Rom.8,15,16,17. Gal.3,26. Ephe.1,5. Iohan.1,12. *De adoptione.*

Adoptio duplex est: imperfecta, quam in hac vita habemus: de hac dicitur ad Romanos. Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Atq; istam adoptionem jam obtinuerunt, qui Christum receperunt per fidem. Iohan.1,12. Altera adoptio est perfecta, quæ in resurrectione dabitur. de ea in eodem capite ad Romanos dicitur: Omnis creatura ingemiscit, & expectat filiorum Dei revelationem. Sed & nos ipsi Spiritus primitias habentes, gemimus intra nos, expectantes adoptionem & redemtionem corporis nostri.

Tantum de adoptione: sequitur de libertate filiorum Dei.

Libertas filiorum Dei, est liberatio nostri per Christum à spirituali servitute. Gal.5,1.

Libertas

Libertas filiorum Dei est duplex, interna & externa.

Libertas interna, est quæ ad vitam interiorem pertinet. Ioh. 8,32,36.

Estque duplex: libertas à servitute æterna & libertas à servitute peccati.

Libertas à servitute æterna, est per quam sumus liberati à potestate & tyrannide Diaboli & condemnatione & morte æterna. Ioh. 8,36.

Hac nos consolamur in certamine conscientiæ in judicio Dei.

Libertas à servitute peccati, est per quam vindicati sumus à dominio peccati, ut ne peccatum nobis amplius dominetur, sed ut justificati & donati Spiritu Sancto, justitiæ & Deo vivamus. Iohan 8,34. 2. Cor. 3. ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Rom. 6,6. & seq. usque ad finem. 2. Petr. 2,19. Galat. 5,13.

Sic fuit de libertate interna: sequitur de externa.

De libertate Christiana.

Libertas externa, est quę ad vitam externam pertinet: Eáque libertas Christiana dicitur, quia ad solos Christianos pertinet.

Eáque duplex est, libertas à legibus Mosaicis & libertas in adiaphoris.

De libertate à legibus Mosaicis.

Libertas à legibus Mosaicis, est per quam Christiani à ceremonialibus & forensibus legibus Mosis sint soluti, quatenus videlicet illę tantum ad politiam Mosaicam pertinuerunt. 1. Corinth. 9,1,19. 2. Corinth. 3,17. Hebr. 9,10.

Nam quæ juris naturæ sunt & omnes gentes obligarunt, non sunt abrogatæ.

De libertate in adiaphoris.

Libertas in adiaphoris, est per quam Christiani sunt liberi in usu rerum adiaphorarum seu mediarum. 1. Corinth 9,1.

De adiaphoris.

Res adiaphoræ seu mediæ, sunt quæ à Deo nec præceptæ, nec vetitæ sunt: sed ab hominibus traditæ & institutæ.

Quales sunt ceremoniæ humanæ authoritate institutæ boni ordinis causa.

Hæ

Hæ ſervari poſſunt vel omitti vigore libertatis Chriſtianæ.

Servari quidem poſſunt concordiæ & vitandi offendiculi infirmorum cauſa. Rom. 14,15,16. 1. Cor. 8,1,9. & 11,29. 2. Cor. 11,12. ſed ita ut ſemper removeatur falſa opinio, nempe 1. meriti, quaſi earum obſervatio mereatur remiſſionem peccatorum.

2. Cultus, quaſi Deus iis vellet coli, contra expreſſum dictum. Matth. 15. Fruſtra me colunt mandatis hominum. Item Ezech. 20. In præceptis meis ambulate, non in præceptis patrum veſtrorum.

3. Perfectionis, quaſi earum obſervatio nos perfectos redderet.

4. Neceſſitatis, quaſi neceſſarium eſſet eas obſervare propter conſcientiam, ac læderetur conſcientia, niſi obſervarentur: cùm tamen nullæ leges obligent conſcientias hominum, præter leges Dei.

Omitti etiam poſſunt ſine peccato extra caſum ſcandali, & citra ſpeciem abnegatæ veritatis & citra omſſionem neceſſariæ confeſſionis.

Qui verò his neglectis in Eccleſiis reformatis tales ceremonias violant, peccant.

Adiaphoræ igitur res ſunt licitæ vel illicitæ pro circumſtantiarum ratione. Rom. 14,20,21. 1. Cor. 8,13.

Hîc autem in circumſtantiarum pugna & contrarietate, minoris momenti majoribus momenti, pauciores pluribus cedant. Rom. 14,21.

Attamen cavendum eſt, ne res adiaphoræ cenſeantur, quæ adiaphoræ non ſunt.

Quales ſunt tum ſuperſtitioſæ, tum impiæ.

Superſtitioſæ, ſunt quarum obſervatio conjuncta eſt cum falſa opinione meriti, cultus, perfectionis & neceſſitatis.

Impiæ, ſunt quæ apertè pugnant cum mandatis divinis, cujuſmodi ſunt multæ traditiones Pontificiæ, ut abuſus Cœnæ Domini, invocatio mortuorum, cultus imaginum, lex de cœlibatu, dies feſti Sanctis dedicati, imagines religionis cauſâ factæ. hoc eſt, ut ſerviant ad religionis uſum, ſive ut adorentur, ſive ut res ſacræ per illas repreſententur. Hunc enim finem imaginum Deus

non

non vult esse: sed per verbum omnes vult doceri. Monimenta autem quibus res divinæ repræsententur sunt sola Sacramenta, non picta aut sculpta, sed administrata. Nam Christus non ait, Hoc pingite, sed hoc facite, id est, panem frangite, &c. ad mei recordationem.

Usus doctrinæ de libertate Christiana est duplex.

1. Ut discamus in quibus rebus propriè sit nostra justitia.

2. Ut sciamus quid de ceremoniis sit sentiendum, nempe in illis non esse quærendam justificationem, sed gratis nos consequi remissionem peccatorum, & justitiam propter Christum, non propter ullarum ceremoniarum & traditionum humanarum observationem.

Hactenus fuit de communione cum Christo: sequitur de conservatione in hac communione.

Conservatio electorum in communione cum Christo, est beneficium Dei, quo electos ad finem usque conservat, ne pereant, sed ut in societate Christi permaneant. 1. Pet. 1, 5.

Ejus partes sunt, consolatio, exauditio precum, defensio adversus hostes, liberatio è periculis & perseverantiæ donum.

Consolatio, est beneficium Dei, quo nos corroborat ad tolerantiam rerum adversarum cum ineffabili lætitia cordis conjunctam. Psal. 94, 19. & 119, 76, 77. 2. Cor. 1, 3. 1. Cor. 10, 13.

Eáque vel communis est in omni cruce, vel peculiaris in morte.

Consolatio communis in omni cruce est multiplex:

1. Quia crux à divinâ providentiâ clementissimi Patris nostri cœlestis proficiscitur. 2. Sam. 16, 10. Iere. 14, 22.
2. Quia crux confert ad electorum bonum & salutem. Rom. 8, 28. Psal. 119, 71. Apoc. 3, 10.
3. Quia crux parit patientiam. Iac. 1, 2, 3. Rom. 5, 3.
4. Quia qui crucem patiuntur pietatis & veritatis nomine,

mine, ſunt beati. Matth. 5,10,11. Luc. 6,22. Iac. 1,12. 1. Petr. 3,14. & 4,14.

5. Quia crux eſt momentanea. 2. Cor. 4,17.
6. Quia cruci Deus ipſe modum imponit. 1. Corinth. 10,13.
7. Quia crux nos non poteſt ſeparare à charitate Dei. Rom. 8,39.
8. Quia crux non eſt teſtimonium iræ Dei.
9. Quia crux eſt teſtimonium amoris Dei. Prov. 3,11, 12. Hebr. 12,6. 1. Petr. 2,19,20.
10. Quia cruce probatus accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Iac. 1,12. 2. Tim. 2,11. Matth. 5,12. Apoc. 2,10.
11. Quia non poteſt evertere electos. 2. Cor. 4,8.
12. Quia crucis læta erit cataſtrophe. Luc. 6,21. Matt. 5, verſ. 4.
13. Quia cruci alii quoque ſancti ſemper fuerunt ſubjecti. Iac. 5,11. Matth. 5,12.
14. Quia ſuper ferentibus crucem quieſcit Spiritus Dei. 1. Pet. 4,14.
15. Quia per crucem oportet nos intrare in regnum Dei. Rom. 14,22.
16. Quia per crucem oportet nos conformes fieri imaginis Filii Dei. Rom. 8,28. 1. Pet. 4,13.
17. Quia crucem perferentes non damnabuntur cum hoc mundo. 1. Cor. 11,32.
18. Quia & Chriſtus ipſe crucem ſuſtinuit, Heb. 12,2.
19. Quia crucis in hac vita dolorem ſuperabit multis partibus gaudium æternum, quod in regno Dei percipimus.
20. Quia crux non durabit perpetuò.
21. Quia per crucem Pater cœleſtis certum de ſuis experimentum capere conſtituit.
22. Quia per crucem aſſiduam de noſtra imbecillitate & fragilitate convicti humiliamur, & ſic humiliati diſcimus implorare virtutem Dei.
23. Quia in cruce benevolam præſentiam Dei experimur.
24. Quia crux eſt indicium adipiſcendæ hæreditatis æternæ.

25. Quia

25. Quia cruce spes nostra confirmatur.
26. Quia cruce discimus obedientiam Deo debitam.
27. Quia crux gignit in nobis contemtum & fastidium præsentis vitæ.
28. Quia crux admonet nos de vitæ præsentis vanitate.
29. Quia crux invitat nos ad vitæ futuræ meditationem.
30. Quia tandem nos Deus liberabit ab omni malo.

Hactenus de communi in omni cruce consolatione: sequitur de consolatione peculiari in morte.

Consolatio adversus mortem est itidem multiplex:

Ex disputat. D. Ioh. Jacobi Grynæi.

1. Quia non nobis seu vivimus seu morimur, sed Domino. Rom. 14,8.
2. Quia Christus nobis & in vita & in morte lucrum est. Philip. 1,12.
3. Quia Christus nobis est resurrectio & vita: & qui credunt in eum, etiamsi mortui fuerint, vivent. Ioh. 11,25.
4. Quia mortis dolores Deus mitigat & abbreviat servis suis.
5. Quia mors nostra in somnum conversa, complementum est mortificationis carnis nostræ: & qui mortuus est, à peccato liber est. Rom. 6,7.
6. Quia scimus, nos si terrestris hujus nostræ domus tabernaculum dissolutum fuerit, ædificationem ex Deo habituros, domicilium videlicet, non manufactum, æternum in cœlis. 2. Cor. 5,1.
7. Quia piè morientes migramus ad Christum, id quod nobis longè optimum est. Philip. 1,23.
8. Quia hæc universæ carnis via, Christi morte sanctificata est.
9. Quia si unquam aliâs in hujus vitæ ærumnis sustinendis, maxime tamen in mortis agone, efficacia consolationis, quam suggerit Christi Spiritus, inæstimabiliter vincit dolores mortis.
10. Quia caro quidem infirma est, Spiritus autem promptus.

promptus. Matth.26,41. Itaque non totus homo mortē extimeſcit maximè, ſed inferior ejus pars, videlicet caro.

11. Quia deſiderium clari conſpectus Dei, & liberationis à toto peccato metum & dolorem valde minuit & mitigat.

12. Quia non minor eſſe debeat in nobis amor erga fideles, qui morte ſuperata nos præceſſerunt, ſic ut iis jungi cupiamus in patria; quàm eſſe poſſit erga eos, quos ſuperſtites, in triſti hoc exilio relinquimus, ne videlicet ſejungamur ab iis, qui nos paulò poſt ſecuturi ſunt.

13. Quia Dei miſericordiam erga parvulos noſtros morientes, tam evidenter & toties animadvertimus, animo præſentimus eſſe decet, præſertim quum Spiritus Sancti arrabone nos obſignatos eſſe, ſciamus.

14. Quia non majoris nobis facienda eſt vita animalis, quàm ſpiritualis: ut hujus deſiderium mortis metum minuere deceat.

15. Quia certò ſcimus, animam quidem immortalem eſſe, & ad conventum & concionem primogenitorum, qui ſunt in cœlis conſcripti, ab Angelis traduci. Luc.16.22. Heb.12,23. Corpus autem in terra quieſcere: nec ſanè ineleganter quidam ſepulchrum corporis portum, vocavit.

16. Quia credimus carnis reſurrectionem & vitam æternam.

17. Quia ut in tota vita, ſic in mortis agone, Deus ſervos ſuos ſupra id quod poſſunt ferre, tentari non ſinit: ſed præſtat cum tentatione etiam evaſionē. 1.Cor.10,13. Mirum ſanè illud eſt, quod in Moralibus Gregorius dixit, Ridendo quoſdam mortis negotium exequi. Nos fortiter ſuſtinendo id ſuperari, dicere malumus.

18. Quia non tam de morte placida ſolicitè cogitandum, quàm de vita ſancta. Etenim, ut præclarè dixit Auguſtinus, Non mala mors putanda eſt, quam bona vita præceſſerit. Et ut idem dixit, Non poteſt malè mori, qui bene vixerit: & vix

bene moritur, qui malè vixerit.

19. Quia mors planè immatura nunquam est, sive probos, sive improbos spectes. Illi enim vocantur ante tempus, ne diutius vexentur à malis: mali verò & impii tolluntur, ne diutius bonos persequantur: ut idem Augustinus dixit.

20. Quia tantis malis hæc vita repleta est, ut comparatione sui, mors remedium putetur esse, non pœna: ut censuit Ambrosius.

21. Quia mori timet (extremè videlicet) qui non sperat vivere post mortem: ut Chrysostomus dixit.

22. Quia præstat Deo offerre pro munere, quod pro debito alioquin tenemur reddere, videlicet spiritũ nostrum: ut Chrysostomus dixit.

23. Quia ut malis mala mors est, sic bona bonis, quibus omnia adjumento sunt ad bonum.

24. Quia mors vitę via est, ut scitè dixit Ambrosius.

25. Quia mors hæc reparatio vitæ est, ut canit Ecclesia.

26. Quia, ut Bernardus dixit, Mors justi est bona propter requiem: melior propter novitatem: optima propter securitatem. Et ut idem dixit, Mors peccatorum: mala, pejor, pessima: sed bonorum: mors bona, melior, optima.

27. Quia mors bona, quę vitam non aufert, sed transfert in melius: sententia ejusdem Bernardi.

28. Quia, eodem teste, mors à morte, vita ab errore, à peccato gratia nos liberavit.

29. Quia mors nomen tantùm fidelibus est: ut dixit Chrysostomus.

30. Quia mortem Deus moderatur, ne nobis mali ullius causa sit.

Hactenus fuit de consolatione: sequitur de relequis beneficiis.

Exauditio precum, est beneficium Dei, dum electis in nomine Christi precantibus præstat omnia quæcunque ipsorum saluti conducunt. Ioh. 9, 31. Psal. 145, 18, 19.

Ioh.

Ioh.14,13,14. & 15,16.

Defensio adversus hostes, est beneficium Dei, dum electos adversus spirituales & corporales hostes ita tuetur, ut ipsorum saluti obesse nullo modo possint.

Liberatio è periculis, est beneficium Dei, dum suos electos in angustiis constitutos mirabiliter sæpe præter spem eripit, ut ipsius præsentiam experientes in periculis, lætentur in ipso.

Perseverantiæ donum, est beneficium Dei, quo ita gratiam Christi per Spiritum Sanctum in electis obsignat, ut finaliter in eâ permaneant, nec eâ excidere possint, Rom.11,29. Matt.24,24. 1.Ioh.2,19,27. 2.Pet.2,18. Ioh.10,28. Rom.8,35. Luc.21,32.

Tantum de conservatione in communione cum Christo: restat de donatione vitæ æternæ.

Donatio vitæ æternæ, est beneficium per Christum nobis partum, cùm Deus post hanc vitam electis dabit ut cum ipso vivant in omnem æternitatem.

Adhuc fuit de promissione gratiæ: sequitur de restipulatione bonæ conscientiæ.

Restipulatio bonæ conscientiæ, est altera fœderis gratiæ pars, quâ credentes Deo repromittunt, se ipsius beneficia verâ fide accipere & verâ justitiâ & sanctitate ipsi servire velle ad gratitudinem debitam erga ipsum declarandam.

Hactenus fuit de fœdere æterno: sequitur de fœdere temporali.

Fœdus temporale, est fœdus in quo Deus hominibus temporalia bona promittit. Tale fuit fœdus post diluvium cum humano genere, quòd Deus non vellet amplius mundum diluvio perdere. Gen.9,8. & seq. *De fœdere temporali.*

Idque æterno fœdere nititur, & tanquam ejus appendix est.

bene moritur, qui malè vixerit.

19. Quia mors planè immatura nunquam est, sive probos, sive improbos spectes. Illi enim vocantur ante tempus, ne diutius vexentur à malis: mali verò & impii tolluntur, ne diutius bonos persequantur: ut idem Augustinus dixit.

20. Quia tantis malis hæc vita repleta est, ut comparatione sui, mors remedium putetur esse, non pœna: ut censuit Ambrosius.

21. Quia mori timet (extremè videlicet) qui non sperat vivere post mortem: ut Chrysostomus dixit.

22. Quia præstat Deo offerre pro munere, quod pro debito alioquin tenemur reddere, videlicet spiritũ nostrum: ut Chrysostomus dixit.

23. Quia ut malis mala mors est, sic bona bonis, quibus omnia adjumento sunt ad bonum.

24. Quia mors vitę via est, ut scitè dixit Ambrosius.

25. Quia mors hæc reparatio vitæ est, ut canit Ecclesia.

26. Quia, ut Bernardus dixit, Mors justi est bona propter requiem: melior propter novitatem: optima propter securitatem. Et ut idem dixit, Mors peccatorum: mala, pejor, pessima: sed bonorum: mors bona, melior, optima.

27. Quia mors bona, quę vitam non aufert, sed transfert in melius: sententia ejusdem Bernardi.

28. Quia, eodem teste, mors à morte, vita ab errore, à peccato gratia nos liberavit.

29. Quia mors nomen tantùm fidelibus est: ut dixit Chrysostomus.

30. Quia mortem Deus moderatur, ne nobis mali ullius causa sit.

Hactenus fuit de consolatione: sequitur de relequis beneficiis.

Exauditio precum, est beneficium Dei, dum electis in nomine Christi precantibus præstat omnia quæcunque ipsorum saluti conducunt. Ioh. 9, 31. Psal. 145, 18, 19.

Ioh.

Ioh.14,13,14.& 15,16.

Defensio adversus hostes, est beneficium Dei, dum electos adversus spirituales & corporales hostes ita tuetur, ut ipsorum saluti obesse nullo modo possint.

Liberatio è periculis, est beneficium Dei, dum suos electos in angustiis constitutos mirabiliter sæpe præter spem eripit, ut ipsius præsentiam experientes in periculis, lætentur in ipso.

Perseverantiæ donum, est beneficium Dei, quo ita gratiam Christi per Spiritum Sanctum in electis obsignat, ut finaliter in eâ permaneant, nec eâ excidere possint, Rom.11,29. Matt.24,24. 1.Ioh.2,19,27. 2.Pet.2,18. Ioh.10,28.Rom.8,35.Luc.22,32.

Tantum de conservatione in communione cum Christo: restat de donatione vitæ æternæ.

Donatio vitæ æternæ, est beneficium per Christum nobis partum, cùm Deus post hanc vitam electis dabit ut cum ipso vivant in omnem æternitatem.

Adhuc fuit de promissione gratiæ: sequitur de restipulatione bonæ conscientiæ.

Restipulatio bonæ conscientiæ, est altera fœderis gratiæ pars, quâ credentes Deo repromittunt, se ipsius beneficia verâ fide accipere & verâ justitiâ & sanctitate ipsi servire velle ad gratitudinem debitam erga ipsum declarandam.

Hactenus fuit de fœdere æterno: sequitur de fœdere temporali.

Fœdus temporale, est fœdus in quo Deus hominibus temporalia bona promittit. Tale fuit fœdus post diluvium cum humano genere, quòd Deus non vellet amplius mundum diluvio perdere. Gen.9,8.& seq. *De fœdere temporali.*

Idque æterno fœdere nititur, & tanquam ejus appendix est.

Hactenus fuit de fœdere divino: sequitur de signo divino.

De Signis. August. lib. 2. de doctrina Christiane ca. 1 Philip. Melanth.

Signum divinum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, divini aliquid ex se facit in cogitationem venire. Vel, est quiddam incurrens in sensus, quod commonefacit de alia re, quæ conjuncta est illi signo.

Signum vel naturale est vel datum.

Signum naturale, est signum, quod id ipsum naturâ habet quod significat. Hujus generis est Iris vel imbres vel serenitatem significans, si physicè consideretur.

Signum datum, est signum, quod non naturâ sed instituto & voluntate Dei id significat, cujus est signum: ut Iris ex Dei instituto est signum, mundum non perituru diluvio.

Signum datum vel miraculum est vel Sacramentum.

De miraculis. Miraculum, est signum supra naturæ ordinem effectum. Exod. 3,2. & 14,21,22,23. Dan. 3,94. & 6,22. Matth. 14,19,20.

Ergo si quid fit secundùm naturæ ordinem & rationem, miraculosum non est, sed naturale.

Miraculorum finis est duplex: alter ut iis Deus suam potentiam conspiciendam præbeat. Exod. 19. & 20. Dan. 3.

Alter ut iis tanquam sigillis veram doctrinam confirmet. Marc. 16,17.

In miraculis quidem ordo naturalis, summa Dei potestate, interrumpitur: sed tamen nunquam destruitur & evertitur, neque rerum ipsarum essentiæ perimuntur, licet aliquando forma immutetur. Sic cùm Sol stetit pugnante Iosuâ, cùm retrogressus est ægrotante Ezechia, ordo naturæ fuit interruptus, non eversus: nam postea Sol iterum eundem cursum tenuit, qui ei in creatione attributus erat. Mansit etiam nihilominus Solis essentia. Cùm mare divisum est, interruptus est cursus maris: sed peracto opere quod Deus decreverat, iterum ad priorem cursum rediit, eúmque continuavit: mansit etiam essentia maris. Cùm virga Aaronis facta est draco, non fuit annihilatio, sed conversio. Sic aqua in Cana

Galilææ

Galileæ non fuit annihilata, ſed converſa in vinum.

Agit autem Deus in miraculorum effectione liberrimè. Nam illum ordinem naturæ ipſe indidit liberrimè: ergò etiam liberrimè interrumpere, cùm vult, poteſt. Deinde quia non eſt alligatus ad ordinem naturæ.

Quanquam autem Deus omnia poſſit: tamen non ſunt ubique fingenda miracula: præſertim ubi neque de voluntate Dei conſtat, neque neceſſarium eſt. ut in ſacra Cœna non ſunt fingenda miracula, quaſi corpus Chriſti ſupernaturaliter & miraculosè ſit in pane: quia nullibi Chriſtus ſe id velle dixit: nullibi, inquam, dixit, ſe velle eſſe in pane: Deinde id non eſt neceſſarium: poteſt enim Chriſtus noſter fieri, etiamſi in panem non deſcendat, & in pane nobis in os inſeratur.

Tantum de miraculo: ſequitur de Sacramento.

Sacramentum, eſt ſignum externum, quod Deus ſuo fœderi cum hominibus inito adjungit. *De Sacramentis.*

Eſtque vel æterni fœderis vel temporalis.

Sacramentum æterni fœderis, eſt Sacramentum quo Deus promiſſionem vitæ æternæ confirmat.

Idque eſt vel fœderis operum vel fœderis gratiæ.

Sacramentum fœderis operum, eſt Sacramentum quod Deus in ſtatu primævæ integritatis primis parentibus dederat.

Erátque duplex: arbor vitæ, & arbor ſcientiæ boni & mali.

Arbor vitæ, erat Sacramentum fœderis operum, quo ſignificabatur vita, quam homo erat victurus, ſi in obſequio Dei perſtitiſſet, Gen. 2, 9.

Arbor ſcientiæ boni & mali, erat Sacramentum, quo ſignificabatur homini quàm bono in ſtatu eſſet, dum obſequium Deo creatori ſuo præſtaret: & in quàm malum & miſerum ſtatum ſe conjecturus eſſet, ſi Deo non obtemperaret. Geneſ. 2, 17. & 3, 7, 8, 9, 10, 11.

Hactenus de Sacramento fœderis operum: sequitur de Sacramento fœderis gratiæ.

De Sacramento fœderis gratiæ.

Sacramentum fœderis gratiæ, est sigillum justitiæ fidei. Rom. 4, 11.

Vel: Sacramentum fœderis gratiæ, est Sacramentum quo fideles tum admonentur, tum certi redduntur, quòd fœdus gratiæ & omnia beneficia Dei quæ in eo fœdere promittuntur, non tantùm ad alios, sed etiam ad ipsos singulatim pertineant, qui Sacramento secundùm divinam institutionem utuntur.

Mysterium.

Dicitur etiam mysterium, quia significat res arcanas & ignotas illis qui verbo Dei de significatione & usu eorum non sunt edocti: quia in eo aliud videtur, aliud intelligitur.

Ubiquitarii ideo mysterium dici putant, quia modus perceptionis corporalis sit imperscrutabilis. At falsa est hæc causa: quia perceptio corporalis fundamentum in Scriptura nullum habet, sed est humanum figmentum & somnium. Deinde modus est nobis patefactus, quòd sit spiritualis, quòd perceptio fiat fide.

Et verbum & Sacramenta fidem nostram ad Christum tanquam unicum salutis nostræ fundamentum deducunt.

Igitur nihil aliud in Sacramentis nobis proponitur, offertur & datur, & obsignatur, quàm in Euangelio promittitur & annuntiatur, sed unum idémque, nempe Christus cum suis beneficiis. Nihil aliud in Sacramentis percipimus quàm in simplici verbo, nempe Christum cum suis beneficiis.

Atque eadem est Christi sive in simplici verbo, ut Iohan. 6. sive in Sacramentis perceptio, nempe spiritualis, id est, quæ Spiritus Sancti virtute & unico fidei instrumento peragitur. Non differt perceptio Christi in verbo & Sacramentis reipsa: nam utrobique est eadem res, eadem substantia, nempe Christus cum suis beneficiis. Non differt modo: utrobique enim est spiritualis. Non differt instrumento perceptionis: nam utrobique instru-

instrumentum perceptionis est fides. Quomodo igitur differt perceptio Christi in simplici verbo & Sacramentis? Externâ tantùm formâ: quoniam videlicet in Sacramentis signa corporalia verbo promissionis adjunguntur. In simplici verbo Deus per prædicationem & aures tantum nobiscum agit: in Sacramentis verò adhibet præterea signa in reliquos sensus etiam incurrentia. unde fit ut vehementior & expressior sit sacramentalis, quàm nudè per simplex verbum communicatio.

Partes Sacramenti fœderis gratię duę sunt: res terrena & actio externa vel ritus externus. Gen. 17, 11. Exo. 12, 8. & seq. Matt. 3, 11. & 28, 9. Matth. 26, 26. & seq. 1. Cor. 11, 23, 24, 25.

Res terrena sola perfectum & integrum Sacramentum non est, sed oportet actionem externam seu ceremoniam, vel usum rei terrenæ à Christo institutum accedere.

Nihil enim habet rationem Sacramenti extra usum à Christo institutum.

Res terrena in Sacramento, est signum seu symbolũ quo res cœlestis fidelib. promissa similitudine quadam repręsentatur & significatur, ut certi reddantur, tam certò eam spiritualiter adesse, quàm certò corporaliter ante oculos rem terrenam præsentem vident. Genes. 17, 11. Rom. 4, 11. Ezec. 36, 25. *De re terrena.*

Ipse Christus per Spiritum Sanctum fidei nostræ res promissas præsentes facit: fides autem eas accipit.

Fides non efficit eam præsentiam: sed ipse Christus.

Res cœlestis per rem terrenam in Sacramento significata est novum testamentum seu fœdus gratię in sanguine Christi.

Ergo non est in ministro aut terrenis elementis hærendum: sed ad res promissas oculi fidei sunt convertendi.

Propterea res terrena, more loquendi in scriptura & Ecclesia trito & perspicuo, etiam sępe nomine rei cœlestis appellatur: quia per rem terrenam significatur & intelligitur res cœlestis. Exod. 24, 8. sanguis victimarum dicitur sanguis fœderis. Gen. 17, 10. Circumcisio nomi- *De Metaphora sacramentali.*

natur fœdus. Exod.12,11. Agnus Paschalis appellatur transitus. Tit.3.5. Baptismus nominatur lavacrum regenerationis.

Quomodo autem hæ sacramentales locutiones intelligi & explicari debeant, ipsa scriptura declarat; quia res terrena sit signum fœderis. Genes.17,11. quia sit sigillum justitiæ fidei. Roman.4,11. quia sit memoriale mortis Christi.

Idq; fit per Metaphoram, quæ nempe signum vel ponitur pro re significata, vel appellatur nomine rei significatæ.

Sic fuit de re terrena: sequitur de actione externa in Sacramento.

De actione externa in Sacramento.

Actio externa in Sacramento, hoc est, ritus seu ceremonia quæ in Sacramento juxta institutionem Christi est observanda, est signum actionis internæ. Deut.30, 6. Matt.3,11. Rom.6,3. 1.Cor.6,11. Col.2,11. Act.22,16.

Actio hæc duplex est: Alia ministri Sacramentum administrantis, alia fidelis Sacramento utentis.

Actio ministri Sacramentũ administrantis est duplex: sanctificatio rei terrenæ: & administratio ejusdem.

Sanctificatio rei terrenæ, est actio ministri, qua destinat rem terrenam ad sanctum usum ex mãdato Dei.

Recitatio verborum institutionis Sacramenti igitur est necessaria, tum ut ratio instituti Sacramenti explicetur, tum ut per illam res terrena sanctificetur & ad sacrum usum consecretur, quia eã mandatum Dei continetur. Ideo ait August. Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum. 1.Cor.11,23,24,25.

Administratio rei terrenę, est altera ministri actio, qua significatur, tam certò Deum nobis promissa beneficia offerre & dare: quàm certò rem terrenam à ministro verbi nobis offerri & dari videmus. 1.Cor.11,23.

Rem terrenam dispensat & exhibet minister verbi: rem cœlestem autem ipse Christus. Matt.3,11. Ego baptizo vos aqua, alius est qui baptizat Spiritu Sancto.

Hæc de actione ministri Sacramentum administrantis.

Actio fidelis Sacramento utentis est etiam duplex; perceptio rei terrenę & gratiarum actio.

Perceptio

Perceptio rei terrenæ, eſt actio fidelis Sacramento utentis, qua rem terrenam accipit ad ſignificandum ſe tam certò ſpiritualiter promiſſa beneficia accipere, quàm certò rem terrenam corporaliter percipit. Rom. 4,11. Matth. 26,26.

Verba promiſſionis gratiæ & rem terrenam accipimus ex ore & manu miniſtri: at res cœleſtes ex manu ipſius Chriſti.

Externa perceptio fit corpore: interna non niſi per fidem & Spiritus Sancti in cordibus efficaciam: complectitur enim interna perceptio juſtificationem & regenerationem.

Rem terrenam accipimus corpore, hoc eſt, membris, actionibus & ſenſibus corporis, oculis, auribus, manibus, ore & ſtomacho, viſu, auditu, tactu, guſtu, & olfactu: res autem cœleſtes accipimus per fidem & Spiritus Sancti in cordibus efficaciam.

Ideo accipiunt rem terrenam non tantùm fideles, ſed etiam infideles: ſed rem cœleſtem tantùm fideles.

Gratiarum actio, eſt actio fidelis Sacramento utentis, qua Chriſto gratias agit ore & corde pro toto redemptionis opere & beneficio. 1. Cor. 11,25,26.

Hæ igitur ſunt partes Sacramenti, quæ ad cujuſque Sacramenti, quo fœdus gratiæ obſignatur, perfectionem requiruntur: cum quibus ſi in vero uſu res cœleſtes & actio interna conjungantur, nominatur hæc conjunctio unio ſacramentalis, quæ etiam ſacramentalium locutionum cauſa eſt.

De unione Sacramentali.

Unio igitur ſacramentalis, eſt ſpiritualis conjunctio Sacramenti cum rebus quarum eſt Sacramentum, ſeu eſt conjunctio ſignorum & rerum, id eſt, rei terrenæ cum cœleſtibus, & actionis externæ cum actione interna.

Iſta unio non eſt phyſica & localis, ſed ſpiritualis, pactionalis & relativa, quæ in ordinatione divina ſigni ad rem: & ſpirituali exhibitione & perceptione rerum, cum corporali exhibitione & perceptione ſignorum, verè conjuncta, exiſtit.

Ut igitur Sacramenti duæ ſunt partes: ita etiam unionis Sacramentalis.

Prima

Prima pars est unio rei terrenę cum re cœlesti.

Hanc rem cœlestem non necesse est substantialiter & corporaliter esse in terrena vel in eo loco, in quo res terrena est: quia hęc unio est merè spiritualis.

Nec sequitur si corporaliter pręsens non est in terra, in re terrena, vel in loco, in quo est res terrena, propter res pręsentem non esse: quia etiam verè præsens est, quod spiritualiter pręsens est.

Altera pars unionis sacramentalis est conjunctio actionis externæ cum actione interna.

Nam in legitimo usu Sacramenti conjuncta est exhibitio & perceptio signi & rei significatę: signi quidem, corporalis, ex manu ministri: rei verò significatę, spiritualis, per veram fidem, ex manu ipsius Christi.

Sacramentum enim non tantùm terrena & corporalis, sed etiam cœlestis & spiritualis actio est, in qua non tantùm res terrena, quę in terra est, sed etiam illæ res, quę in cœlo, & quæ in Deo, & quę in cordibus fidelium sunt, nobis sunt præsentes.

Et Spiritus Sanctus nos cum Christo conjungens, etiam longissimè distantia quod ad loci intervallum attinet, copulat multò arctiùs & propiùs, quàm vel anima cum corpore, vel vitis cum palmite est conjuncta.

Hactenus fuit de partibus Sacramenti fœderis gratiæ: sequuntur fines.

Decimum Sacramenti fœderis gratiæ.

Sacramenti fœderis gratię sunt septem fines.

1. Ut sit monimentum beneficiorum Dei tum exhibitorum tum exhibendorum, id est, ut commonefaciat fideles de collatis vel conferendis in eos Christi beneficiis. Sic Pascha erat memoriale non modò pręteritæ liberationis ex Ægypto, sed etiam futuræ liberationis per Christum. Sic sacra Cœna est memoriale non tantum redemptionis factæ in cruce: sed etiam perficiendę cùm veniet judicatum vivos & mortuos, & suos electos plenè liberabit à peccato & omnib. hostib. Luc. 21, 28

2. Ut eo exerceatur, augeatur & confirmetur fides nostra.

3. Ut

3. Ut eo excitemur ad gratiarum actionem pro beneficiis redemptionis.

4. Ut sit vinculum mutuæ dilectionis & concordiæ in Ecclesia, hoc est, ut ejus communicatione mutua charitate magis ac magis inter nos devinciamur: unus panis, unum corpus multi sumus.

5. Ut sit nervus publicorum congressuum & conservationis ministerii Ecclesiastici. Exod. 12, 16. 1. Cor. 11, 20.

6. Ut sit nota professionis, quâ, tanquam tesserâ, Ecclesia ab infidelibus discernatur. Exo. 12, 43. Sic circumcisio discernebat Iudæos ab aliis Gentibus.

Ut ab esu Deo immolatorum omnes impuri prohibebantur, comminatione addita, quòd quicunq; immundus de iis ediſſet, ejus anima excindenda foret è populo ſuo. Levit. 7, 20. ita nemo impurus & infidelis Sacramento fœderis gratiæ uti debet.

7. Ut sit testimonium confessionis & societatis cum Ecclesia. Sextus finis pertinet ad totam Ecclesiam: sed ultimus ad singulos fideles.

Qui non fuerit circumcisus, ejus anima excindatur è populo Dei. Qui non utitur Sacramentis, cùm possit, ostendit se non esse membrum Ecclesiæ & socium confessionis. Sacramentum enim est testimonium, quod testatur, eum qui Sacramento utitur, pertinere ad cœtum Ecclesiæ, esse membrum Ecclesiæ, habere societatem cum ea. Qui in cœtu aliquo Sacramento utitur, is hoc usu testatur se amplecti confessionem illius cœtus, & habere societatem cum ipso.

Sic etiam fuerunt fines fœderis gratiæ.

Sacramentum fœderis gratiæ duplex est: veteris Testamenti vel novi.

De sacramentis fœderis gratiæ in veteri Testamento.

Sacramentum veteris Testamenti, est quod ante Christi adventum Ecclesiæ veteris Testamenti institutum fuit. Genes. 17. Exod. 12. & 16, 15, & 17, 6. 1. Cor. 10, 1, 2, 3, 4.

Sacramenta veteris Testamenti vel ordinaria fuerunt

runt vel extraordinaria.

Ordinaria fuerunt, quæ ad Ecclesiam veteris Testamenti ordinariè & semper pertinebant. Gen. 17. Exo. 12.

Fuerúntque duo: Circumcisio & Pascha.

De Circumcisione.

Circumcisio, fuit Sacramentum veteris Testamenti, quo omnes mares in populo Israelitico in præputio circúmcisi, fœderi à Deo cum Abrahamo inito inserebantur. Gen. 17, 10, 11. Ios. 5, 2. Rom. 4, 11.

Ejus partes duæ fuerunt: præputium & actio externa in circumcisione. Gen. 17, 11.

Præputium erat signum, nostram naturâ corruptam esse, homines in hac generatione carnali reos nasci: & ideo egere regeneratione & renovatione quæ futura erat per semen benedictum, qui contriturus erat caput serpentis, & in quo benedicendæ erant omnes gentes.

Actio externa in circumcisione duplex: altera ministri circumcisionem administrantis: altera fidelis circumcisionem recipientis. Genes. 17, 9, 10. Roman. 2, 19. & 4, 11.

Ministri circumcisionem administrantis duplex erat actio: explicatio institutionis circumcisionis, & circumcisio præputii.

Circumcisio præputii, erat signum circumcisionis cordis, id est, justificationis per fidem. Rom. 4, 11. remissionis peccatorum & regenerationis. Deut. 30, 6.

Fidelis circumcisionem recipientis actio erat duplex: receptio circumcisionis, & gratiarum actio.

Receptio circumcisionis, erat qua fidelis per circumcisionem ministri manibus factam, præputio carnis se exuit, ad significandum se peccatis carnis se exuere. Coloss. 2, 11. Rom. 4, 11.

Gratiarum actio fiebat à parentibus & propinquis loco infantis circumcisi.

Tantum de Circumcisione: sequitur de Paschate.

De Paschate.

Pascha, fuit Sacramentum veteris testamenti, quo fideles comesto agno Paschali, liberationis ex Ægypto tum præteritæ corporalis, tum futuræ spiritualis admonebantur. Exod. 12, 1, 2, 3, 5. & 11.

Paschatis

Paſchatis partes duæ fuerunt: Agnus paſchalis, & actio ad ejus uſum pertinens.

Agnus paſchalis ſpirituali ſignificatione denotabat Chriſtum agnum Dei tollentem peccata mundi. 1. Cor. 5,7,8. & 10,3. *Agnus Paſchalis.*

Actio in paſchate erat vel adminiſtrantis vel recipientis.

Actio adminiſtrantis eſt duplex, tum explicatio inſtitutionis Sacramenti paſchæ: tum præbitio. Exod. 12, 3,4,5,21.

Explicatio inſtitutionis Sacramenti Paſchę præcipitur. Exod. 12,26,27.

Præbitio Agni Paſchalis fiebat à patrefamilias, & ſignificabatur, Deum Filium ſuum exhibiturum, ut pro peccatis mundi ſacrificaretur. 1. Cor. 5,7.

Fidelis recipientis duplex quoque erat actio: Comeſtio Agni Paſchalis, & gratiarum actio.

Comeſtione Agni Paſchalis ſignificabatur participatio paſſionis Chriſti. 1. Cor. 5,7,8.

Gratiarum actione recolebatur ad laudem Dei beneficium eductionis populi Dei ex ſervitute Ægyptiaca, & futuræ liberationis ex ſpirituali Ægypto, hoc eſt, ex ſervitute peccati, ſacrificio Meſſiæ. Exod. 12,24,26. & 13,8,9,10.

Sic eſt de ordinariis Sacramentis veteris Teſtamenti: ſequitur de extraordinariis.

Extraordinaria Sacramenta, fuerunt quæ extraordinariè tum ante inſtitutionem duorum ordinariorum fuerant: tum ad ea poſtea acceſſerant.

Ante fuerant ſacrificia ab Adamo uſque ad Abrahamum. Gen. 4,4.

Extraordinaria Sacramenta quæ ad priora duo acceſſerant, fuerant etiam duo: Baptiſmus nubis & maris: & cœna mannæ atque aquæ ex petra profluentis.

Baptiſmus nubis & maris, fuit Sacramentum extraordinarium in veteri Teſtamento, quo Iſraelitæ ſub nube illa exiſtentes & per mare tranſeuntes, omnes in Moſen baptizati ſunt nube & mari. 1. Cor. 10,1,2.

Cœna

Cœna mannæ atque aquæ ex petra profluentis, fuit ſacramentum veteris Teſtamenti, quo Iſraelitæ cibo cœlitus demiſſo alebantur, ad ſignificandam ſpiritualem alimoniam carnis Chriſti, & aqua ex petra profluente potabantur, ad ſignificandum ſpiritualem potum ſanguinis Chriſti. 1. Cor. 10, 3, 4.

Hactenus dictum eſt de ſacramentis veteris Teſtamenti: ſequitur de ſacramentis novi.

De Sacramentis novi Teſtamenti

Sacramentum novi Teſtamenti, eſt quod ab ipſo Chriſto Eccleſiæ ſuæ inſtitutum, ſacramentis veteris Teſtamenti ſucceſſit. Matth. 26, 26. & 28, 19.

Sacramenta novi Teſtamenti duo ſunt: Baptiſmus & Cœna Domini.

De Baptiſmo.

Baptiſmus, eſt Sacramentum novi Teſtamenti quo nobis ſignificatur & obſignatur, tam certò nos ſanguine Chriſti à peccatis ablui, quàm certò corpus noſtrum aqua in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti abluitur. Matt. 28, 19. Act. 2, 38. Matth. 3, 11. Marc. 16, 16. Rom. 6, 3. Marc. 1. 4. Luc. 3, 3.

Baptiſmus ſucceſſit circumciſioni, ejuſque analogiam retinet: utrumque enim Sacramentum eſt initiationis, & regenerationis.

Atque ut ſemel Iſraelitæ circumcidebantur: Ita etiam tantùm ſemel baptizamur: quia ſemel tantùm naſcimur: atque ut circumciſio erat nativitas Iudaiſmi; ita Baptiſmus eſt nativitas Chriſtianiſmi.

Baptiſmi partes duæ ſunt: Aqua baptiſmi & actio externa in Baptiſmo.

Aqua baptiſmi ſignificatur ſanguis Chriſti in cruce effuſus. Hebr. 12, 24. 1. Pet. 1, 1. Zach. 13, 1. Ezech. 36, 25.

Actio externa in baptiſmo duplex eſt: alia miniſtri Baptiſmum adminiſtrantis: alia fidelis Baptiſmo utentis. Miniſtri actio duplex eſt: ſanctificatio aquæ & ablutio externa.

Sanctificatio aquæ, eſt deſtinatio ejus ad hunc uſum ut ſignificet ſanguinem Chriſti.

Ablutio externa, eſt ablutionis interioris, qua ſanguine

ne Christi à peccatis abluimur, signum, obsignatio & pignus certissimum. Apocal. 1,5. Rom. 6,3. 1. Corin. 6,11. 1. Pet. 3,21. Ephes. 5,26. 1. Ioh. 1,7.

Quemadmodum enim sordes corporis aqua purgantur: ita peccata nostra sanguine Christi expiantur. Apo. 1,5. & 7,14. 1. Cor. 6,11. Gal. 3,17. 1. Ioh. 1. 7.

Propterea nominatur externus baptismus lavacrum regenerationis. Tit. 3,5. & ablutio peccatorum. Act. 22, 16. non quòd propriè & per se sit lavacrum per quod regeneramur: nam propriè per Spiritum Sanctum regeneramur: sed quòd sit signum & obsignatio interioris ablutionis, id est regenerationis & adoptionis ex fœderis formula: Ero Deus tuus & seminis tui.

Minister abluit aquâ foris: sed Christus abluit intus sanguine suo. Matth. 3,11. Apoc. 1,5.

Hæ sunt actiones ministri baptismum administrantis: sequuntur actiones fidelis baptismum accipientis.

Fidelis baptismo utentis duplex etiam est actio: acceptio baptismi, & gratiarum actio.

Acceptione baptismi significatur, tam certò infantem à peccatis sanguine Christi ablui: quàm certò aqua corpus ipsius perfunditur & abluitur. Apocal. 7,14. Ezech. 36,25.

Ablui sanguine Christi, est participem fieri beneficiorum fœderis gratiæ, hoc est, reconciliari, justificari, regenerari, adoptari in filium à Deo, donari libertate filiorum Dei, &c.

Externus homo sentit vim aquæ: sed internus efficaciam sanguinis Christi.

Aqua abluuntur etiam infideles: sed sanguine Christi tantùm credentes.

Ergo non omnes qui baptizantur, regenerantur, sed tantùm credentes.

Baptizandi autem sunt non tantùm adulti: sed etiam infantes.

1. Quia ipsi quoq; pertinent ad fœdus gratiæ Dei.

2. Quia ad ipsos quoque pertinet promissio remissionis

nis peccatorum per sanguinem Christi.
3. Quia pertinent ad Ecclesiam Dei.
4. Quia sunt sanguine Christi redempti.
5. Quia ipsis promittitur Spiritus Sanctus.
6. Quia sunt discernendi ab infidelium liberis.
7. Quia etiam in veteri fœdere infantes circumcidebantur.

Gratiarum actio vel ab ipso baptizato statim fit, si sit adultus: vel à susceptoribus ejus loco, si est infans: qui tamen matura ætate deinceps tota vita sua pro hoc beneficio gratitudinem Deo debet.

Hactenus fuit de Baptismo: sequitur de Cœna Domini.

De Cœna Domini.

Cœna Domini, est Sacramentum novi Testamenti, quo nobis significatur & obsignatur, tam certò nos corpore Christi crucifixo, sanguinéque fuso ad æternam vitam sustentari, quàm certò ore corporis panem fractum manducamus & vinum ex poculo bibimus. Matth. 26,26,27,28. Marc. 14,22,23,24. Luc. 22,19,20. 1. Cor. 10. 16,17. & 11,23,24,25. & 12,13.

Eodem sensu mensa Domini dicitur 1. Cor. 10,21.

Ergo ad Christi convivium accedis, Christi conviva es, quoties de hac Cœna edis & bibis.

Cœna Domini successit Agno Paschali: ideo etiam ejus analogiam retinet. utrumque enim Sacramentum est nutritionis & educationis spiritualis.

Et quemadmodum manducatio Agni Paschalis sæpe repetebatur: ita etiam usurpatio Cœnæ Domini sæpe iteratur.

Ut enim Pascha erat educatio Iudaismi: ita Cœna domini est educatio Christianismi, cibo potúque, id est, instauratione & renovatione sæpe indigens, quemadmodum vita nostra eget quotidiana refectione, quæ fit cibo & potu.

Partes Cœnæ Domini, ut aliorum Sacramentorum, duæ sunt: res terrena & actio externa in Cœna.

Res terrena in Cœna duplex est: Panis & vinum. Quia non solùm cibo, sed etiam potu vivimus.

Panis

Panis in ſacra Cœna, eſt ſignum ſeu imago corporis Chriſti pro nobis in mortem traditi. Iohan. 6, 35, 48, 50, 51, 55, 56.

Vinum in ſacra Cœna, eſt ſignum ſeu imago ſanguinis Chriſti pro nobis in cruce effuſi.

Ideo etiam panis nominatur ipſum corpus, & vinum ſeu poculum, in quo eſt vinum, nominatur ipſe ſanguis.

Non quòd corpus Chriſti deſcendat de ſede gloriæ ſuæ de cœlo, & ſe abſcondat inviſibiliter in pane, & ſanguis ejus in vino, quæ opinio abſurdiſſima eſt: ſed ideo panis nominatur corpus Chriſti, quia eſt ſignum, memoriale, ſymbolum, figura, ſimilitudo, imago corporis pro nobis traditi: Et vinum ſeu poculum nominatur novum teſtamentum in ſanguine Chriſti: quia eſt ſignum novi teſtamenti ſeu fœderis, hoc eſt, reconciliationis cum Deo factæ per ſanguinem Chriſti in cruce effuſum ad remiſſionem peccatorum. Panis dicitur corpus Chriſti pro nobis traditum per Metaphoram, quia panis fractus eſt ſignum revocans & imprimens nobis in memoriam & quaſi ob oculos ponens fractionem, hoc eſt, crucifixionem corporis Chriſti. Vinum eſt ſanguis Chriſti, per eandem Metaphoram, quia eſt ſignum revocans & imprimens nobis in memoriam effuſionem ſanguinis Chriſti factam in cruce ad remiſſionem noſtrorum peccatorum.

Imò panis non eſt ſignum corporis glorioſi ſeu quatenus jam glorioſum eſt, ſed traditi in mortem, ſed fracti in cruce, ſed mactati: ſicut Dominus expreſsè inquit: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur.

Et vinum non eſt ſignum ſanguinis contenti in venis, ſed effuſi in cruce, ſeu quatenus effuſus eſt: ut itidem Dominus expreſsè teſtatur.

Ideo jam corpus Chriſti non eſt in pane, quia jam eſt glorioſum, & in has miſerrimas terras non deſcendet de cœlo ante noviſſimum diem, nec ſanguis ejus jam eſt in vino: quia ſemel effudit ſanguinem & mortuus eſt, jam ampliùs non effundit, mors illi ampliùs non dominabitur.

Pane fracto repræſentatur nobis quaſi ſimilitudine

& imagine quadam corpus passum. Nam tota actio Cœnæ Domini referenda est ad hunc finem, ut mortem Domini annuntiemus donec veniat.

Videtur Metaphora esse convenientior in explicatione horum verborum, quia non simpliciter panis, sed panis fractus repræsentat quadam similitudine corpus fractum, ut Paulus loquitur, hoc est, traditum in mortem. Nam fractio panis admonet nos fractionis corporis Christi, quasi picturâ quadam ob oculos positâ. Christus non simpliciter panem vocavit corpus, sed panem fractum. At quo fine? Quemadmodum video oculis meis panem mihi frangi: ita certò in fide mea confirmor Christi corpus traditum esse pro me in mortem. Deinde quàm certò minister verbi mihi dat fractum panem: tam certò Christus mihi dat suum corpus in mortem traditum. Hanc esse genuinam verborum Christi sententiam inde apparet: Nam Christus omnia hæc jubet facere ad sui memoriam, & Paulus id explicat, inquiens: Mortem Domini annunciabitis, donec veniat.

Christus quidem non dixit: Panis est signum corporis: sed quia Sacramentum instituit, loquitur de eo, ut Scriptura de Sacramentis perpetuò loqui solet, symbolum appellans nomine rei significatæ per Metaphoram.

Ideo fideles accedentes ad S. Cœnã, cùm intuentur panem sacramentalem oculis corporis, admonentur ut simul intueantur & complectantur oculis fidei, corpus Christi pro nobis fractum in cruce seu crucifixum. Ideo enim panis nomen corporis habet, ne fideles hæreant in pane, ne corpus Christi quærant in terreno elemento, sed fide se attollant in cœlum, quò ascendit & ubi est, & oculis fidei contemplentur, & comedant in ara cœlesti agnum immaculatum, pro ipsis mactatum: sicut canit Ecclesia: SURSUM CORDA.

Eâdem Metaphorâ panis quem frangimus, à Paulo appellatur communio corporis Christi: poculum benedictionis cui benedicimus, appellatur communio sanguinis Christi. 1. Cor. 10, 16. Quia hoc pane & poculo tanquam sigillo fideles certi redduntur, quòd habeant κοινωνίαν, hoc est, communionem cum Christo.

Utræque

Utræque res & terrenæ & cœleſtes revera adſunt in ſacra Cœna: illæ quidem corporaliter & viſibiliter, hæ verò ſpiritualiter & fidei contemplatione.

Panem & vinum oculis corporis videmus: at corpus & ſanguinem Chriſti oculis animæ, id eſt, fide.

Quàm certò igitur adeſſe panem & vinum cernimus: tam certò etiam nobis adeſſe corpus & ſanguinem Chriſti credimus: imò non credimus eſſe Domini cœnam niſi corpus & ſanguis ejus nobis adſint.

Alioquin quomodo fieret communicatio corporis & ſanguinis Chriſti, ſi abeſſent? Communicatio enim non eſt abſentium, ſed præſentium.

Adſunt verò corpus & ſanguis Chriſti verè fidelibus, id eſt, fide illud ſumentibus, ſed ſpirituali præſentia, non locali, non corporali aſſiſtentiâ ac ſitu: ſacramentali & pactionali, non phyſicâ: adſunt eâ præſentiâ quam fides, non os corporis: quam ſpiritus, non litera: quam Chriſti ſententia, non Capernaitica interpretatio requirit ac poſtulat: ut potiùs nos ſurſum evehi animo oporteat, quàm glorioſam illam ac beatam Domini noſtri Ieſu Chriſti carnem de cœlo in has miſerrimas terras detrahi, ejúſque deſcenſum inviſibilem in panem, & iterum aſcenſum in cœlum poſt celebratam ſanctam Cœnam fingere.

Hactenus de rebus terrenis in ſacra Cœna: ſequitur de actione externa.

Actio externa in cœna Domini, ut in aliis ſacramentis, etiam duplex eſt: miniſtri cœnam Domini adminiſtrantis & fidelis ſacra Cœna utentis.

Miniſtri ſacram Cœnam adminiſtrantis actio eſt duplex: Sanctificatio panis & vini, & adminiſtratio.

Sanctificatio panis & vini, eſt actio miniſtri, qua panem & vinum ad ſacrum uſum deſtinat ex mandato Chriſti. *De conſecratione panis.*

Recitatio verborum inſtitutionis & promiſſionis fit ad εὐλογίαν panis & vini, id eſt, ut ex communi pane & vino fiant ſacra corporis & ſanguinis Chriſti ſymbola: Quæ panis & vini ad ſacrum uſum conſecratio,

sanctificatio & destinatio à veteribus appellata fuit Metabolè, id est, sacramentalis mutatio.

De sacramentali mutatione

Quæ mutatio rerum terrenarum, non est substantiæ, ut Pontificii cum errore asserunt, sed finis: quia panis & vinum non sunt ampliùs profanus cibus & potus, sed sacro fini & usui serviunt.

Theodor. Dial. 2.

Nam symbola mystica etiam post sanctificationem non amittunt propriam naturam. Paulus post benedictionem, panem adhuc appellat panem.

Administratio rei terrenæ, est altera ministri actio, qua res terrenas in sacra Cœna administrat.

Eáque administratio est duplex: partim panis, partim vini.

Administrationis panis duæ sunt partes: Fractio & distributio.

De fractione panis.

Fractio panis, est actio ministri, quâ significatur corpus Christi non minùs certò pro me in cruce oblatum ac fractum esse, quàm oculis cerno panem Domini mihi frangi.

Distributio panis, est actio ministri quâ significatur tam certò mihi exhiberi corpus Christi, quàm certò panis fractus mihi exhibetur.

Administrationis vini etiam duæ sunt partes: Effusio in calicem, & distributio poculi.

Effusio vini est actio ministri, quâ significatur effusio sanguinis Christi in cruce facta.

Distributio poculi, est actio ministri, quâ significatur nobis tam certò sanguinem Christi exhiberi, quàm certò poculum nobis traditur.

Tantum de actione ministri: sequitur de externa actione fidelis sacra Cœna utentis.

Externa actio fidelis sacra Cœna utentis duplex est: perceptio panis & vini, & gratiarum actio.

Perceptio panis & vini, est actio fidelis sacra Cœna utentis, quâ panem manducat & vinum bibit ad significandum, se tam certò fide corpus Christi manducare, & sanguinem ejus bibere, quàm certò ore corporis panem manducat & vinum ex calice bibit.

Manducare

Manducare corpus Christi est participem fieri beneficiorum fœderis gratiæ, hoc est, reconciliationis, justificationis, & regenerationis in Christo, adoptionis, &c.

Abrahamus Christi carnem manducavit, antequam suâ substantiâ in rerum natura fuit: nos Christi carnem non manducamus aliter, quàm Abraham: nec simus carnis Christi aliter participes, quàm Abraham. Ioh. 6, 51. 1. Cor. 10, 16. Hæc manducatio tantùm spiritualis est, quia fide fit ac spiritu. unde apparet, solos credentes manducare corpus & bibere sanguinem Christi: reprobos verò minimè, cùm fide careant.

Cæterùm caro Christi, tantùm quatenus mactata & mortua est pro nobis, editur ad pios vivificandum: & sanguis Christi, tantùm quatenus effusus est in cruce, bibitur ad remissionem nostrorum peccatorum.

Etsi enim Christus semel mortuus, & ex mortuis resuscitatus, non ampliùs moritur, & jam non ampliùs in statu humiliationis est, sed gloriæ, tamen *Sacramenta fidem nostram deducunt ad sacrificium Christi in cruce peractum*: sicut Christus ait: Hoc facite in mei recordationem: & Paulus: Quoties de hoc pane comederitis, & de hoc poculo biberitis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.

Hactenus de perceptione panis & vini: sequitur de gratiarum actione.

Gratiarum actio, est fidelis sacrâ Cœnâ utentis actio, quâ ex vera fide recordatur & cõmemorat mortem Christi ad laudem ipsius. 1. Cor. 11, 26.

Sic fuerunt partes Cœnæ Domini: sequitur de præparatione fidelis ante ejus usum.

De præparatione fidelis ante usum S. Cœnæ.

Præparatio ad usum sacræ Cœnæ duplex est: Interna & externa.

Præparatio interna spiritualis est, quæ consistit in probatione sui ipsius seu exploratione dignitatis vel indignitatis suæ.

Dignitas & indignitas accedentium ad ſacram Cœnam, & utriuſque effectus, eſt duplex: vel perſonæ vel tractationis.

Dignitas perſonæ, eſt fides, ſeu imputata per fidem juſtitia Chriſti, quam quicunq; habent, digni ſunt convivæ, & ſumunt hanc eſcam ad ſalutem æternam.

Ergo dignitas perſonæ in ſola fide conſiſtit, ejúsque effectum eſt vitatio pœnæ æternæ.

Indignitas perſonæ, eſt infidelitas, quâ laborantes indigni ſunt hac menſâ, & ſumunt ſibi judicium & damnationem æternam.

Dignitas tractationis, eſt vera reverentia, interna & externa, ignoſcentia, dilectio, ſeria peccatorum deploratio & reſipiſcentia, meditatio beneficiorum Chriſti, diſcretio corporis Domini & gratiarum actio, & vitatio ſcandalorum omnium.

Eáque locum habet in ſolis fidelibus.

Indignitas tractationis, eſt irreverentia ſeu irreligioſa tractatio Cœnæ Dominicæ.

Ea ſemper quidem in perſonas indignas, aliquando tamen etiam in convivas dignos cadit.

Ideo duplex eſt: alia in impiis, alia in piis.

Indignitas tractationis in impiis, eſt privatio & abſentia veræ reverentiæ, internæ & externæ, ignoſcentiæ, dilectionis, ſeriæ peccatorum deplorationis & reſipiſcentiæ, meditationis beneficiorum Chriſti & gratiarum actionis, diſcretionis corporis Domini & vitationis ſcandalorum omnium.

Indignitas tractationis in piis, eſt negligentia & frigidior ſenſus in exploratione ſui.

Etſi enim pii revera edunt panem Domini & panem Dominum, ac proinde edunt ſalutem æternam, immunes à judicio æterno: tamen irreverenter accedentes ad menſam Domini, id eſt, negligentiùs & frigidiùs ſe explorantes, edunt ſibi judicium temporale, hoc eſt, offendunt Deum, & caſtigationibus variis in hac vita revocantur ad emendationem horum peccatorum. Ita Paulus Corinthios irreverenter accedentes ad menſam Domini, etiam aliquos verè converſos, terret comminatione pœnæ temporalis: & tamen rurſus erigit conſola-

consolatione. 1.Corinth.11,30,31,32.

Nam etiam fideles sæpe peccant hoc genere negligentiæ & securitatis : & licet salus eorum æterna non sit irrita : tamen in hac vita duriter castigantur. Docet hoc Apostolus disertè,cùm Corinthios irreligiosa tractatione Cœnæ Domini sive affectibus, sive ignorantia peccantes, tamen appellat fratres, & eos dicit puniri à Domino,morbis & morte temporali, propter hanc culpam : ne cum hoc mundo damnentur. 1.Cor.11,30,31, 32.sicut 1.Cor.3,12.dicit,extruentes fœnum & stipulam super fundamentum, quod est Christus, servandos quidem esse,ita tamen ut per ignem.

Hujus indignitatis est quidem aliquid in omnibus fidelibus, sed in aliis plus, in aliis minus : & habentibus studium eam vitandi, & retinendi bonam conscientiam,condonatur propter Christum.

Ideóque requiritur exploratio utriusque dignitatis: ut non modò æternam, sed etiam temporariam Dei iram & pœnam effugiamus.1.Cor.11,28.

De probatione sui ipsius ante usum Cœnæ Domini.

Probatio seu examen sui ipsius duabus rebus constat: primò an sis in fide,an intelligas articulos fidei, promissionem Euangelii, & doctrinam de Sacramentis. Hîc Lydius lapis est Symbolum Apostolicum seu doctrina Euangelii. Hîc eximenda est populo opinio, qua multi imbuti sunt,qui arreptis tribus verbis: HOC EST CORPUS MEUM, opinantur non esse necessarium diligentiùs naturam Sacramentorum scrutari,se simpliciter credere velle: At hoc non est credere,sed errare,& quidem obstinatè errare,si constituisti, te nolle quicquam discere. Si rectè credere vis,intelligas oportet: nam fides est certa notitia. Quem enim fructum percipient ex usu Sacramentorum ii, qui usum eorum nunquam rectè didicerunt?

Altera probationis pars versatur in exploranda vita. Hîc Lydius lapis, est Decalogus, hoc est, explorandum est qualis fuerit vita tua,quàm à Lege Dei aliena,qualis

debeat esse: an prestiteris quæ Deo in Baptismo promiseris, an Deum supra omnia diligas & proximum sicut teipsum, hoc est, an facias & deinceps facturus sis quæ Deus præcipit, & fugias atque fugiturus sis quæ Deus prohibet: an habeas firmum propositum emendandi vitam, & instituendi eam secundùm verbum Dei. Si qui talem inclinationem sentiunt, hortandi, ut ad sacram Cœnam eant. Reliqui qui neque intelligunt doctrinam promissionis Euangelii & Sacramentorum: nec cupiunt vitam emendare: sed animum habent perseverandi in delictis, dehortandi ne adeant ad S. Cœnam, ne sibi ipsis judicium manducent.

Hactenus de Sacramento fœderis æterni: sequitur de Sacramento fœderis temporalis.

Sacramentum fœderis temporalis, est Sacramentum quo Deus promissionem corporalem confirmat. Tale est Iris. Gen. 8, 12, 13. tale fuit vellus Gedeonis. Iud. 6, 36. usque ad finem. item retrogressio tum umbræ in horoscopo seu horologio Achaz, tum Solis, cùm Deus regi Ezechiæ promisisset liberationem civitatis à Sennacheribo, & adjectionem quindecim annorum ad spacium vitæ. Esa. 38, 5, 6, 7, 8.

Sic ergo fuerunt opera Dei quæ in hac vita fiunt: restant quæ post hanc vitam fient.

Opera Dei quæ post hanc vitam fient, sunt tum resuscitatio mortuorum universalis & judicium ultimum: tum manifestatio gloriæ Dei in omnem æternitatem.

Resuscitatio mortuorum universalis, est opus Dei quo post expletum electorum numerum omnes homines mortuos in vitam revocabit. Actor. 3, 24. 1. Petr. 3, 7. Apoc. 6, 11.

De judicio ultimo. Iudicium ultimum, est quo Christus omnes sine exceptione ex verbo suo judicatos, alios vitæ æternæ hæredes, alios ignis æterni cum Diabolis socios declarabit. Matth. 25, 31. Rom. 14, 10. 2. Cor. 5, 10.

Hæc

Hæc extremi judicii consolatio piis est, quòd Pater omne judicium tradidit Filio, ut conscientias nostras tranquillas redderet, & omnem condemnationis terrorem eximeret. Ioh. 5.

Iudicii ultimi partes duæ sunt: separatio electorum à reprobis, & sententia.

Separatio electorum à reprobis, est qua coactis per angelos ab omnibus mundi plagis omnibus hominibus, electi ad dexteram, reprobi ad sinistram Christi statuentur. Matt. 25, 33.

Sententia, est altera judicii ultimi pars, qua Christus cuique jus dicet & retribuet secundùm opera cujusque. Matth. 25, 32, 33. Roman. 1, 6. 1. Corint. 4, 5. Apocal. 20, 12, 15.

Sententia duplex erit: altera electis ferenda, altera adversus reprobos pronuncianda.

Sententia electis ferenda, est: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis à jactis fundamentis mundi. Matth. 25, 34.

Sententiæ electis ferendę duæ sunt partes: altera de introductione electorum ad possessionem æternæ hæreditatis & beatitudinis, altera de glorificatione.

De glorificatione electorum.

Glorificatio electorum, est opus Dei quo electos omnes post universalem resurrectionem mortuorum, gloriâ æternâ ornabit.

Glorificatio ista tum ad corpus tum ad animam pertinet.

De glorificatione corporis.

Glorificatio ad corpus pertinens, est quòd reddetur spirituale, h. e. quòd spiritualem & omni carnis labe liberam & solutam vitam deget, qualem spiritus ipsi degunt: deinde incorruptibile, immortale, deniq; conforme corpori Christi glorioso. Piorum enim corpora non solùm immortalia & incorruptibilia erunt: sed robusta, impatibilia, glorioſa, spiritualia. 1. Corin. 15. Augustinus ad Crescentium: Sicut animale corpus non est anima, sed corpus: ita & spirituale corpus, non spiritum debemus putare, sed corpus.

Spirituale corpus vocatur à Paulo: ergo non spiritus, nam spiritus non habet corpus, id est carnem & ossa. Ergo spiritus & spirituale corpus non sunt idem.

Et

Et Paulus non dicit mutandam esse substantiam corporis in resurrectione, sed corporis & substantiæ qualitates, sic enim scribit Corint. ut hoc quod est corruptioni obnoxium, induat incorruptam naturam, & mortale induat immortalitatem. At (ais) vacabit materia obnoxia interitui. Quis negat? non vacabit tamé materia. Nonne & cœlũ habet materiam impatibilem, corruptionis expertem? Excipis: At erimus similes Angelis: Non ergo Angeli: nostra enim caro resurgere debet, & nos in illa (ut Iobus ait) videbimus deum servatorem nostrũ. Si corpora nostra mutabuntur in spiritus: ergo homo non resurget, quia homo constat ex corpore & anima, & corpus in spiritum transire nequit, quia non conveniunt in materia. A Paulo opponitur physico corpori spirituale: sed intellige physico, murabili & caduco. Nam physicum corpus esse nostrum non desinet, etsi immortale & impatibile fiet: nam & cœlum physicum corpus est, quod tamen ex materia constat, non patibili, non caduca.

Glorificatio ad animam pertinens erit illustratio animæ plena cognitione mysteriorum Dei & immutabili rectitudine voluntatis.

Sic est sententia electis ferenda: sequitur sententia contra reprobos pronuncianda.

Sententia contra reprobos pronuncianda, est: Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & angelis ejus.

Hactenus de universali resuscitatione mortuorum & judicio ultimo: restat de manifestatione gloriæ Dei in omnem aternitatem.

Manifestatio gloriæ Dei in omnem æternitatem erit, postquam Christus regnum tradet Deo Patri, & ipse quoque Christus secundum humanitatem se subjicet Deo Patri, ut Deus Pater sit omnia in omnibus. 1. Cor. 15, 24, 28. Ephes. 2, 7.

Hactenus

Hactenus explicata fuit fides de Deo: sequitur de Ecclesia.

Ecclesia est cœtus hominum certam religionem profitentium.

Religio, est ratio colendi Deum. *Religio.*

Ecclesia duplex est: vera vel falsa.

Ecclesia vera, est cœtus hominum veram religionem profitentium. *De vera Ecclesia.*

Vera religio, est qua verus Deus rectè colitur.

Eáque tantùm est una.

Et in ea sola homines salvi erunt.

Ecclesia vera vel catholica est, vel particularis: hæc visibilis, illa invisibilis est.

Ecclesia Catholica est invisibilis cœtus tantùm electorum ad vitam æternam. Matth.8,11.Ioha.10,16.Galath 4,26. *De Ecclesia Catholica. Dicitur q̃ invisibilis: quia oculis humanis cognosci non possunt qui sint electi: sed soli Deo cogniti sunt.*

Eáque etiam dicitur regnum Christi seu Dei, in oratione Dominica, in Prophetis regnum Messiæ. Item Clerus. Ephes.1,11. ἐκλήθημεν, sors sive hæreditas Domini, ad quam non tantùm Sacerdotes, sed etiam Idiotę pertinent.

Eáque Catholica dicitur. 1. Quia est universitas electorum, qui universi unum corpus mysticum cõstituunt. 2. Quia universos in Deum credentes & salvandos, oportet in hoc esse cœtu. Nam extra Ecclesiam non est salus. 3. Quia amplectitur universum corpus doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ. 4. Quia dispersa est, per totum orbem terrarum. Esa.2,2,3. *Novit enim Dominus qui sui sint. 2.Tim. 2.19. Interim unusquisq; pro se ex infallibilibus signis certus esse potest, quòd sit electus. De se quisque certò id scire potest: de alijs tantùm sperare.*

Et tantùm una est: Eph.2,14,15,16,17.

Caput Ecclesiæ Catholicæ, est solus Iesus Christus. 1.Cor.12,27.Eph.1,22.& 4,15.& 5.23. Col.1,18.& 2,10.

Isque nullo vicario, nullo ministeriali capite indiget.

Corpus verò Ecclesię Catholicę mysticum est. Rom. 12,5.1.Cor.10,17.& 12,27. Eph.1.22,23.& 4,4,12, 16.& 5,23.Col.1,18.24.

Ejus membra tantùm sunt electi. 1.Ioh.2,19.Ioh2.10, 14,27,28.

Súntque tum ex Iudæis tum etiam ex Gentibus.

Et utrique vel in cœlis sunt vel in terra. Eph.1,10.

In

In cœlis ſunt, qui in fide Chriſti jam ſunt defuncti.
In terra ſunt, qui in Chriſtū credentes adhuc vivunt.

Tantum de Eccleſia Catholica: ſequitur de particulari.

De Eccleſia particulari.

Eccleſia particularis, eſt viſibilis cœtus hominum in quovis loco audientium purum verbum Dei, & rectè utentium ſacramentis, cui multi mali, hypocritæ & infideles ſunt admixti, uſque ad noviſſimum diem. Matth. 13,24,47.

Eam autem veram Chriſti Eccleſiam eſſe demonſtrant notæ eſſentiales veræ Eccleſiæ.

Notæ eſſentiales veræ Eccleſiæ, ſunt proprietates, quibus infallibiliter cognoſci poteſt, qui cœtus particularis ubicunque locorum congregatus, ſit vera Eccleſia Dei.

Súntque duæ: pura verbi Dei prædicatio & legitimus uſus Sacramentorum.

Pura verbi Dei prædicatio eſt, cùm ſecundum formam ſanorum verborum omnia quæ ad æternam ſalutem ſunt neceſſaria, ex ſolo verbo Dei docentur ad Eccleſiæ ædificationem. Ioh. 8, 31. 47. 2. Ioh. 1, 9. Ioh. 10. 27. & 14, 23. Act. 2, 42. 2. Pet. 1, 19. Epheſ. 2, 20. Gal. 1, 8, 9. 1. Cor. 3, 11. Matt. 28, 20. Rom. 10, 8. Act. 17, 11.

Legitimus uſus Sacramentorum eſt, cùm Sacramenta juxta inſtitutionem Chriſti adminiſtrantur & uſurpantur. Marc. 16, 6. Actor. 2, 38. & 10, 47. Luc. 22, 19. Act. 2, 42.

Eccleſia particularis eſt vel veteris Teſtamenti vel novi. Epheſ. 2, 17.

Eccleſia veteris Teſtamenti, eſt quæ ante Chriſti adventum fuit in populo Dei. Eph. 2, 11, 12.

Eccleſia novi Teſtamenti, eſt quę poſt Chriſti adventum cœpit. Eph. 2, 13, 14. utriuſque certa eſt politia.

Politia Eccleſiaſtica, eſt bene compoſitus Eccleſiæ ſtatus, ſeu, eſt ordo certis legibus ſecundum verbū Dei comparatus ad conſervationem bene compoſiti ſtatus Eccleſiæ. 1. Cor. 1, 10. & 14, 40. Col. 2, 5.

Eáque vel propria eſt, vel communis.

Propria,

Propria, quæ pertinet ad officium ſingularum perſonarum quæ ſunt in Eccleſia. Matth. 18, 17, 18. Roman. 12, 6, 7, 8.

Eæ perſonæ ſunt vel miniſtri vel auditores.

Miniſtri, ſunt qui legitimè vocati Eccleſiæ præſunt. Rom. 12, 6, 7, 8. 2. Cor. 2, 6.

Suntque vel ordinarii vel extraordinarii. 1. Corin. 12, 28, 29, 31. Illorum functio in Eccleſia eſt perpetua: horum temporaria.

Ordinarij ſunt, qui ordinariam Eccleſiæ operam navant, tum ordinario modo, tum ordinariis donis ornati. Rom. 12. 6. 1. Cor. 12, 4. & ſeq.

Extraordinarii, qui extra ordinem excitati fuerunt vel ad Eccleſias fundandas, vel collapſas reſtituendas, vel labefactatas reſarciendas. 1. Cor. 12, 28, 29. Eph. 4, 11.

Extraordinariè vocati habuerunt hoc teſtimonium, quòd non errarent in doctrina, quia Deus de ea teſtificabatur. Attamen in vita & potuerunt peccare, & peccarunt interdum. Gal. 2, 14.

Miniſtrorum extraordinariè vocatorum etiam dona extraordinaria fuêre: nempe prophetiæ extraordinariæ, donum edendi miracula. 1. Cor. 12, 9, 10.

Prophetia extraordinaria, fuit quâ ex dono Dei ſingulari potuerunt tum ſcripturas interpretari & applicare: tum futura certiſſimè clariſſiméque prædicere. Ioh. 16, 8, 13.

Donum edendi miracula, fuit quo Prophetiam & doctrinam ſuam obſignabant.

De miniſtris Eccleſiæ veteris Teſtamenti.

Miniſtri Eccleſiæ veteris Teſtamenti ordinariè vocati fuerunt Sacerdotes & Levitæ.

Sacerdotes, fuerunt quibus ordinariè adminiſtratio veri cultus Dei in Eccleſia veteris Teſtamenti commiſſa fuit. Exod. 28. 41. & 29, 1.

Levitæ, fuerunt qui curando tabernaculo omnibúſque ad id pertinentibus erant deſtinati. Num. 1, 50. & 3, 6. Deut. 10, 8.

Prophetę in veteri Teſtamento, fuerunt qui extraordinaria vocatione miſſi erant, tum ad inſtaurationem doctrinæ à ſacerdotibus corruptæ, tum ad vaticinandum de Meſſia & aliis rebus futuris, tum ad quorundam poli-

politicorum consiliorum gubernationem. 1. Sam. 9, 9. 2. Par. 9, 29. Esa. 1, 1. Ier. 1, 3. Ose, 1, 1. Amos. 1, 1. Abac. 1, 1.

Hactenus de ministris Ecclesiæ veteris Testamenti: sequitur de ministris Ecclesiæ novi Testamenti.

De ministris Ecclesiæ novi Testamenti.

Ministri Ecclesiæ novi Testamenti extraordinariè vocati, fuerunt Iohannes Baptista, Apostoli & Euangelistæ, & Prophetæ novi Testamenti. Ioh. 1, 6, 7. Ephes. 4, 11. 1. Cor. 12, 28.

Horum functio fuit temporaria, instituta nempe ad id tempus, quo initio plantandæ erant Ecclesiæ novi Testamenti. Mat. 28, 19.

Iohannes Baptista, fuit filius sacerdotis Zachariæ & Elisabethæ, ordinatus à Deo ut esset præcursor Messiæ, eique viam pararet. Luc. 2.

Apostoli, fuerunt doctores immediatè ab ipso Christo designati ad Euangelium ubique in universo orbe terrarum prædicandum. Mat. 28, 19.

Euangelistæ, fuerunt qui Apostolis officio proximi erant, adeóque vices eorum gerebant.

Eorúmque quidam ipsi fuerunt Apostoli, ut Matthęus & Iohannes: eadem enim persona cognata officia sustinere potest: quidam Apostolorum comites & συνεργοὶ fuerunt, ut Marcus & Lucas.

Et quia Ecclesia novi Testamenti ex omnibus Gentibus colligenda erat, ideo præcipuè dono linguarum Apostoli & Euangelistæ ornati fuerunt. Act. 2, 4.

Prophetæ novi Testaměti, fuerunt qui singulari quadam revelatione mysteriorum Dei donati res futuras prædixerunt, ut Agabus. Act. 11, 27. & 21, 10. & Iohannes in Apocalypsi. Paulus etiam Rom. 11, 25. de restituendis Iudæis, & 2. Thes. 2, 3. de Antichristo.

Hactenus de ministris Ecclesiæ novi Testamenti extraordinariis: sequitur de ordinariis.

Ministri Ecclesiæ novi Testamenti ordinariè vocati vel Episcopi sunt vel ipsorum adjutores. Ephes. 4, 11.

Horum

Horum functio est perpetua, id est, quæ usque ad finem mundi in Ecclesia requiritur.

Episcopi, sunt qui in spiritualibus rebus & ad Deum pertinentibus versantur. *De Episcopis.*

Episcopatus igitur, est munus Ecclesiasticum, quod in divinis rebus & ad Deum pertinentibus versatur. 1. Tim.3,1,2.

Episcopi sunt pastores vel doctores, Ephes.4,11.

Pastores, sunt qui Ecclesiæ secundùm mandatum Christi præsunt: Iidémque etiam presbyteri dicuntur.

Pastoralis muneris duæ sunt partes: ministerium Ecclesiasticum: & potestas Ecclesiastica.

Ministerium Ecclesiasticũ, est prima pastoralis muneris pars, consistens in docendo verbo Dei & administratione Sacramentorũ ad certam Ecclesię utilitatem. *De ministerio Ecclesiastico.*

Ministerii Ecclesiastici duæ sunt partes: Applicatio verbi usibus Ecclesię & administratio Sacramentorum.

Applicatio verbi usibus Ecclesiæ, est prima pars ministerii Ecclesiastici, quæ exercetur docendo, cõsolando, evellendo falsas opiniones, exhortando, corrigendo, &c. Idque tum publicè in cœtu populi: tum privatim, præsertim si quis morbo vel calamitatibus aliis premitur, aut tentationibus Satanæ molestatur.

Administratio Sacramentorum, est altera ministerii Ecclesiastici pars, cum pastores Sacramenta juxta institutionem Christi administrant.

Hac de ministerio Ecclesiastico: sequitur de potestate Ecclesiastica.

Potestas Ecclesiastica est altera pastoralis muneris pars, qua authoritas Ecclesiæ conservatur. *De potestate Ecclesiastica.*

Potestas Ecclesiastica duplex est: Ordinis & jurisdictionis.

Potestas ordinis, est potestas constituendi ordinem politiæ Ecclesiasticæ.

Estque vel in legitima vocatione ministrorum: vel in legibus Ecclesiasticis ferendis.

Legitima vocatio ministrorum, est cùm idoneæ personæ ad munus docendi & Sacramenta administrandi juxta verbum Dei eliguntur. *De legitima vocatione.*

Partes

Partes ejus ſunt duæ: Examen & ordinatio.

Examen duplex eſt, doctrinæ & vitæ.

Examen doctrinæ, eſt examen quo exploratur an perſona eligenda poſſit Eccleſiam docere. Nam quod quis non didicit, quomodo alios docebit? 2. Timoth. 2. 2. Tit. 1, 9.

Examen vitæ, eſt examen quo exploratur an honeſtos & inculpatos mores perſona eligenda habeat. Tit. 1, 6, 7, 8, 9.

Ordinatio eſt perſonæ examinatæ ad functionem obeundam deſtinatio.

LEGES ECCLESIASTICAE, ſunt canones ſecundùm quos politia Eccleſiaſtica adminiſtrari debet.

Adhuc de poteſtate ordinis: ſequitur de poteſtate juriſdictionis.

Poteſtas juriſdictionis, eſt poteſtas exercendi judicia Eccleſiaſtica.

Eſtque vel in cenſura, vel in poteſtate clavium.

Cenſura, eſt qua vel doctrinæ vel morum errata in aliquo animadverſa corriguntur, vel ſolitaria admonitione, vel adhibito uno atque altero teſte, ut in omnibus muneris ſui partibus ea agat, quæ verbo Dei præſcripta ſunt. Matth. 18, 15, 16.

De poteſtate clavium.

Poteſtas clavium, eſt poteſtas Eccleſiaſtica, qua cœlum credentibus aperitur, incredulis autem occluditur. Ioh. 20, 21, 22, 23. Matt. 16, 19. & 18, 18.

Ejus partes ſunt duæ: ſolutio vel ligatio.

Solutio, eſt pars poteſtatis clavium, ùum pœnitentiam agentibus remiſſio peccatorum & gratia Dei annunciatur.

Ligatio, eſt altera poteſtatis clavium pars, cùm impœnitentibus ira Dei denunciatur.

Hæc poteſtas clavium exercetur vel in prædicatione verbi, vel in diſciplina Eccleſiaſtica.

Poteſtas clavium in prædicatione verbi, eſt cum miniſtri verbi annunciant & teſtificantur univerſis & ſingulis pœnitentiam agentibus & Chriſtum fide apprehendentibus, omnia peccata ipſis divinitus propter meritum

meritum Christi condonari: contrà verò denunciant impœnitentibus, incredulis & hypocritis, iram Dei & condemnationem æternam ipsis incumbere tantisper dum in suis scelerib. perseverant: juxta quod testimoniũ Euãgelii Deus & in hac & in futura vita est iudicaturus.

De disciplina Ecclesiastica.

Disciplina Ecclesiastica, est spiritualis executio legum Ecclesiasticarum.

Ejus duæ sunt partes: pœna Ecclesiastica & absolutio à pœna.

Pœna Ecclesiastica, est quæ in Ecclesia iis imponitur qui peccant.

Estque vel levior vel gravior.

Levior pœna, est objurgatio, cùm is coarguitur qui vel ex ignorantia vel privatim sine aliorum offendiculo deliquit.

Gravior pœna Ecclesiastica, est quæ illi imponitur qui gravius deliquit, nempe tum ex mera malitia, tum cum aliorum offendiculo.

Estque duplex: suspensio vel excommunicatio.

Suspensio, est pœna Ecclesiastica, qua delinquens vel ad usum sacræ Cœnæ, vel ad reliqua etiam sacra ad tẽpus non admittitur.

De Excommunicatione.

Excommunicatio, est pœna Ecclesiastica, qua præeunte legitima cognitione is qui præmissas privatas & Ecclesiasticas admonitiones contẽpsit, ex cœtu Ecclesię & regno Dei justè exclusus ac Satanę traditus declaratur, nisi resipuerit. Matt. 18, 17. 1. Cor. 5, 3. 1. Tim. 1, 20.

Fit autem excommunicatio, vel propter pernicioſos in fundamento errores, quos quispiam pertinaciter defendit, & in Ecclesia schismata hęresésq; excitat, & prę-fractè factioséque Ecclesiæ pacem perturbat. 1. Tim. 1, 20. Tit. 3, 10.

Vel propter manifesta delicta quæ Ecclesiæ scandalo & dedecori sunt. 1. Cor. 5, 3.

Excommunicationis fines duo sunt.

Primus est, ut hoc remedio dometur excommunicati caro, ut discat spiritui vivere, hoc est, ut excommunicatus pudore victus, ad pœnitentiam excitetur & deflectat à malo. 1. Cor. 5, 5. 2. Cor. 2, 7. 2. Thess 3, 14. 1. Tim. 1. 20.

Alter, ne contagio ad reliquos pervadat, eósque inficiat. 1. Cor. 5, 6, 7.

Sic fuit de pœna Ecclesiastica: sequitur de Absolutione.

Absolutio, est liberatio á pœna post resipiscentiam satis testatam.

Estque vel privata vel publica.

Privata, est qua vel objurgati vel suspensi absolvuntur. Matt. 18, 15.

Publica, est quâ excommunicati post resipiscentiam publicè sufficienter testatam Ecclesiæ reconciliantur, & in ejus societatem iterum recipiuntur. 2. Cor. 2, 6, 10.

Hactenus de pastoribus: sequitur de doctoribus.

Doctores, sunt qui tantùm interpretationi scripturæ incumbunt, sive in alias linguas vertendo, sive verum ejus sensum exquirendo, ut sincera sanáque doctrina inter fideles retineatur.

Doctorũ igitur munus in scholastica & exquisita verbi Dei interpretatione versatur. Rom. 12, 5. 1. Cor. 1, 12, 8.

Tantum de Episcopis: sequitur de ipsorum adjutoribus.

Adjutores Episcoporum, sunt qui Ecclesiasticorum negotiorum causa Episcopis sunt adjuncti.

Suntque gubernatores aut curatores.

Gubernatores, sunt viri graves & pii ex plebe delecti, qui censuræ morum & exercendę disciplinæ una cum Episcopis præsunt. Rom. 12, 7. 1. Cor. 12. Hi per synecdochen generis appellantur etiam presbyteri.

Eorum collegium presbyterium dicitur.

Tantum de gubernatoribus: sequitur de curatoribus.

Curatores, sunt adjutores Episcoporum qui res corporales curant: súntque Diaconi vel Diaconissæ.

Diaconi,

Diaconi, sunt qui bona Ecclesiastica curant. *De Diaconis.*

Bona Ecclesiastica in quatuor partes dividuntur.

Una distribuitur iis, qui ministerio Ecclesiæ sunt addicti. Matt. 10, 10, 1. Cor. 9, 9. 1. Thes. 3, 8.

Alter quadrans pauperibus alendis impenditur.

Tertius ruendis ædificiis templorum destinatur.

Quadrans reliquus Episcopo conceditur, quò pauperes advenas excipiat, & captivos etiam fratres, cùm opus est, juvet. 1. Tim. 3. 2. Tit. 1, 8.

Diaconi tamen nunc etiam vocantur illi qui pastoribus sunt adjuncti, ut eos adjuvent in docendo, concionando, administrandis sacramentis, visendis ægrotis & captis, aliisq; ad ministerium sacrum pertinentibus.

Tantum de Diaconis: sequitur de Diaconissis.

Diaconissæ, sunt viduæ, quæ pauperum & ægrotorum usibus serviunt. Act. 6, 1. 1. Tim. 5, 9.

Hucusque dictum de ministris Ecclesiæ: sequitur de auditoribus.

Auditores, sunt præter ministros reliqui sancti in Ecclesia, quorum officium est ut disciplinæ Ecclesiasticę se ex animo subjiciant, eámque pro virili promoveant, donis, opera, & quocunq; modo possunt. Heb. 13, 17. 1. Tim. 5, 17, 18. Aliàs dicuntur Laici, idiotæ.

Hactenus dictum est de propria Ecclesiæ politia: sequitur de communi.

Communis Ecclesiæ politia, est quę ad omnia membra universi corporis Ecclesiæ pertinet.

Eáque in conciliis Ecclesiasticis conspicitur: quivis enim in illis audiri potest & debet, modò id ritè & ordine fiat.

Concilium Ecclesiasticum, est conventus Ecclesiæ causâ institutus. Aliàs synodus. *De Conciliis.*

Causa verò convocandorum conciliorum duplex est.

Una, ut Ecclesia puram doctrinam in verbo Dei comprehensam adversus hæreticos asserat, & aperto suo testimonio approbet. Act. 15.

Hac ratione dicitur Ecclesia columna & firmamentũ veritatis, cujus videlicet fidelis est testis. 1. Tim. 3, 15.

Altera, ut politiæ Ecclesiasticæ leges vel canones pro diversa temporum, locorum & personarum ratione constituat.

Concilium universale est vel particulare.

Universale, quod universæ Ecclesiæ nomine collectum est. Quale fuit Israeliticum: 1. Reg. 18, 19. & Apostolicum Act. 15, 6.

Particulare concilium, est quod certarum Ecclesiarum nomine collectum est.

Idque provinciale seu Nationale vocatur, quando Ecclesiarum unius provinciæ seu Nationis ministri delecti conveniunt.

Synodus utrinq; delectorum aliquot doctorum & piorum hominum, Magistratus authoritate est cogenda.

De ordine & modo colloquendi cum adversariis non nisi prę̃sente Magistratu vel à Magistratu delegatis viris paciscendum.

Ordo sit Methodicus: Theses sint definitiones, distributiones, brevia axiomata. Modus disputandi perpetuò sit syllogisticus.

Omnia autem scriptis, propria collocutorum manu subsignatis, agantur: aut si verbis agere malunt, utrinq; dicta à probatis, bonæ fidei, & utriusq; partis consensu delectis notariis excipiantur, quæ deinde cuique parti recognoscere & addita subscriptione confirmare liceat. Hæc enim est profectò justa & sincera colloquendi ratio, ut sic falsationi occurratur.

Theses colloquii certæ & quidem pauciss̃imæ proponantur: extra eas evagari non concedatur: neq; etiam omnes privatorum sententiæ & interpretationes defendendę̃, sed suam sententiam quę̃libet pars clarè proponat & defendat: non enim necesse est omnes omnium sententias & dicta à nobis præstari. Quid enim privatam alterius sententiam vel authoritatem propugnemus, si nos aliter sentimus?

Controversiæ audita altera parte demum definiendę̃ sunt. A qua definitione seu decisione politici excludendi non sunt, sed ad eam adhibendi. Nam & Zenas Iurisconsultus

consultus tantopere à D. Paulo est commendatus, & cum Apollo quasi illi par conjunctus. Tit. 3, 13.

Hactenus dictum est de vera Ecclesia: sequitur de falsa.

Ecclesia falsa, est quæ falsam religionem sequitur.

Falsa religio, est quęcunque cum verbo Dei in Sacra scriptura tradito pugnat.

Hanc quicunque amplectuntur, hostes sunt Christi & regni ipsius seu veræ Ecclesiæ.

Hi hostes vel aperti sunt vel dissimulati.

Aperti hostes, sunt qui se pro hostibus Christiani nominis manifestè gerunt.

Súntque tum blasphemi Iudæi tum ethnici.

Blasphemi Iudæi, sunt aperti religionis Christianæ hostes, qui Iesu Christo promisso Messia exhibito, tamẽ alium expectant, & Domino Iesu ejúsque membris maledicunt, nec Euangelio de Iesu Christo credere volunt.

Eorum inprimis consideranda est tum rejectio, tum restitutio.

Rejectio Iudæorum, est justissima pœna quâ sunt affecti à Deo, dum ipsos ut ingratos erga Christum ejúsq; Euangelium, excœcavit, induravit & fœdere suo abdicavit, ut in ipsorum locum gentes vocaret & adoptaret. Act. 13, 46. Rom. 11. cap. ferè toto.

Ea verò nec universalis est, nec perpetua. Rom. 11.

De restitutione Iudæorum.

Restitutio Iudęorum, est beneficium Dei, cùm Deus, postquam plenitudo Gentium introierit in Ecclesiam, Iudæos convertet, ut Euangelium de Christo æmulatione misericordiæ Gentibus factæ accensi amplectantur, ac rursus fœderi gratiæ, cum Abrahamo & patribus inito, inserantur & serventur. Rom. 11, 23, 24, 25, 26. 27, 28, 29, 30, 31, 32.

Hactenus de Iudæis: sequitur de Ethnicis.

Ethnici, sunt aperti Christianæ religionis hostes, qui falsos & commentitios deos colunt.

Súntque vel Mahumetani vel alii Pagani.

Mahumetani, sunt aperti Christianæ religionis hostes, qui Mahumetem colunt & Alcoranum ab ipso traditum amplectuntur. Iidemque etiam Turcę dicuntur.

Pagani alii, sunt præter Mahumetanos reliqui omnes qui fictitios deos adorant.

Atque hæc de hostibus apertis: sequitur de dissimulatis.

Dissimulati hostes Christi & Ecclesię veræ, sunt qui Christum sub ipsius nomine oppugnant, & multis mendacibus signis homines seducunt.

Súntque vel Antichristi vel Pseudochristi.

Antichristi, sunt dissimulati hostes Christi, qui doctrinæ Christi, cujus se sectatores profitentur, quoquo modo adversantur. 1. Ioh. 2, 18, 22. & 4, 3. & 2. Ioh. ver. 7.

Iidem dicuntur etiam Pseudoprophetæ. Matt. 7, 15.

Antichristus est duplex: aut enim uni vel alteri tantùm parti doctrinæ Christianæ, aut ferè tòti ejus corpori adversatur.

Prioris generis sunt omnes hæretici.

De hæreticis. Hæreticus, est qui errat in fundamento æternæ salutis, hoc est, qui vel personam vel officium Christi oppugnat & in errore pertinaciter perseverat.

Tales multi inde ab Apostolorum temporibus exstitêre atque etiamnum existunt: ut Cerinthus, Valentinus, Marcion, Sabellius, Arius, Nestorius, Eutyches, Pelagius & alij.

De Antichristo. Posterioris generis est eximius quidam Christi adversarius, qui κατ' ἐξοχὴν & principaliter appellatur Antichristus. 2. Thess. 2, 7. & Pseudopropheta ille. Apoc. 16, 13.

Hîc præcipuè duo consideranda sunt, primum ipse Antichristus: secundùm Ecclesia Antichristi.

De ipso Antichristo quæritur, tum quid sit, tum quis ille sit.

ANTICHRISTUS ille, est homo regnum exercens, universalis apostasiæ seu defectionis à fide caput, & Christianum quidem nomen profitens, sed tamé Christo & doctrinæ Christi sese opponens; cum duplici

eáque ſuprema poteſtate, ſpirituali & ſeculari, & cum fallacibus ſignis ac miraculis ſe oſtentans, magus, cum Diabolo paciſcens: Idololatra, hypocrita, blaſphemus, ambitioſus & ſuperbus, exlex, cœlebs, & cõjugium prohibens, ſed tamen impurus ſcortator, adulter & Sodomita & meretrix Babylonica: certorum ciborum abſtinens, ſed tamen luxurioſus: avarus, emunctor pecuniæ, vafer, vanus, mendax, crudelis, tyrannus, perſecutor & parricida ſanctorum, ſe tanquam Deum venditans & contra poteſtates & majeſtates omnes, tum terrenas tum cœleſtes ſe efferens, divinam potentiam & Chriſti abſolutum dominium ſibi arrogans: divisâ & dilapsâ quartâ, hoc eſt, Romanâ Monarchiâ, ex ejus ruderibus, in ſepticolli civitate, hoc eſt, Romæ, atq; in templo Dei, hoc eſt, in Eccleſia, vi & efficacia Satanæ paulatim exiſtens & creſcens, retegendus poſtremis mundi temporibus ac tandem glorioſo illo Chriſti adventu penitus abolendus. 2. Theſſ. 2, 3. Dan. 7, 8. Apoc. 17, 1. & 18, 3. Apoc. 13, 11. & paſſim in Apocalypſi.

Hactenus quid ſit Antichriſtus: ſequitur quis ſit.

ANTICHRISTUS ILLE EST PAPA ROMANUS: quemadmodum id tum jus Canonicum, tum vitæ & acta pontificum Romanorum expreſſè demonſtrant.

Tantum de ipſo Antichriſto: ſequitur de Eccleſia Antichriſti.

Eccleſia Antichriſti, eſt Eccleſia Romana. falsò dicta Apoſtolica & Catholica, cùm ſit apoſtatica, beſtia illa, verè effingens larvam, quæ Romanorum Monarchiæ priùs deletæ, regiminis, potentiæ, & per omnes populos, amplitudinis, ſedíſque imaginem vivam repræſentat. Apoc. 11, 7, 8. & 13, 3. & ſeq. & paſſim in Apocalypſi: idem experientia teſtatur.

Ejus partes duæ ſunt, caput & membra.

Caput Eccleſiæ Antichriſti, eſt ipſe Antichriſtus Papa Romanus, filius perditionis, Draconis miniſter.

Membra ejus duplicia ſunt, clerici & laici.

Clerici, sunt impuri illi spiritus ex ore Draconis, bestię & pseudoprophetæ illius prodeuntes. Apoc. 16, 13.

Eorum tres sunt ordines, Cardinales, Pseudepiscopi, & colluvies Canonicorum, Scholasticorum & Monachorum.

CARDINALES, sunt impuri spiritus ex ore Draconis, bestię & pseudoprophetę illius prodeuntes, qui abeunt ad reges terræ & totius mundi, ab Antichristo Romano galero Cardinalitio ornati, & missi, ut tanquam ranæ, clamosâ & injucundâ suâ coaxatione apud omnes importuni sint, ut eos congregent ad prælium Dei. Apoc. 16, 13, 14.

PSEUDEPISCOPI, sunt impuri spiritus ex ore Draconis, bestiæ & pseudoprophetæ illius prodeuntes, qui pallium magno precio Romæ emunt, & specialem jurisdictionem civilem & Ecclesiasticam habent.

COLLUVIES CANONICORUM, SCHOLASTICORUM ET MONACHORUM, sunt spiritus impuri ex ore Draconis, bestiæ & pseudoprophetę illius prodeuntes, Romanam sedem quisque pro sua parte homicidiis & mendaciis fulcientes.

Inter monachos verò primas hodie obtinet novi monachi Iesuitæ falsò dicti, cùm sint ESAUITE.

Tantum de Antichristis: restat de pseudochristis.

Pseudochristi sunt dissimulati hostes Christi, qui seipsos pro Christo venditant. Matt. 24, 26. Marc. 13, 21. Luc. 17, 23.

Cujusmodi fuerunt Simon Magus, Bencochab, David Georgius qui Basilcæ est combustus.

FINIS PRIMI LIBRI Partitionum Theologicarum.

PARTITIONVM THEOLOGICARUM JUXTA NATURALIS METHODI LEGES CONFORMATARUM,

LIBER SECVNDVS.

De Bonis Operibus.

SECUNDA PARS VERBI DEI, est de bonis Operibus, id est, quę præscribit & præcipit, qualia opera fidelibus sint facienda ad debitam Deo, pro liberatione à peccatis & morte æterna, gratitudinę præstandam. Phil. 1,27. Iac. 2,20. Tit. 3,8.

Bona Opera, sunt opera à Deo præcepta quæ ex vera fide fiunt ad solius Dei gloriam. Rom. 14,23. Hebr. 11,6.

Sed neque justitia neque pars ulla justitię sunt coram Deo, neque meriti rationem ullam habent. Esa. 64,6. Rom. 3,28. Eph. 2,8,9. Luc. 17,10.

Uni bono operi opponuntur duo peccata: Alterum ut disparatum: alterum ut adversum.

Illud est hypocrisis, id est, simulatio pietatis & probitatis, seu simulata pietas, cujus opera quandam cum bonis operibus cognationem & convenientiam habere videntur: ideo specie & vicinitate boni sæpe hominibus illudunt: revera autem alia sunt ab illis, vel quia à Deo non sunt præcepta, sed ab hominibus opinione recti cōficta: vel etsi à Deo præcepta sint, tamen ex hypocrisi fiunt decipiendorum aliorum gratiâ, aut ostentandę pietatis causâ Pharisæorum more. Quanquam plura interdum disparata esse possint quàm unum. *De hypocrisi.*

Peccatum autem, quod ut adversum bono operi opponitur, est quod simpliciter ei repugnat.

Quem-

Quemadmodum autem fidei nostræ summa comprehenditur Symbolo Apostolico: ita bonorum operum norma & regula est Lex Dei.

Bonorum operum considerari debent tum adjuncta, tum species.

De adjunctis bonorum operum.

Adjuncta bonorum operum sunt duplicia: alia, si Deum spectes: alia, si homines.

Si Deum spectes, sunt timor Dei filialis & subjectio erga Deum.

De filiali timore Dei.

Timor Dei filialis, est metus iræ & judicii divini adversus peccata, quo incitamur ad reverenter obediendum Deo & fugiendum peccata. Vel, Timor Dei filialis, est quo timemus, ut summum malum, ne Deo propter inobedientiam displiceamus. Psal. 5, 8. Talis timor est in electis. Consistitque in tribus rebus.

Primò, ut Deum semper omnia nostra intuentem nobis ante oculos proponamus.

Deinde, ut eum nostrarum cogitationum, dictorum factorúmque omnium testem & vindicem agnoscamus, ac revereamur.

Tertiò, ne quicquam sit, quod magis metuamus, quàm ne Deum tam benignum patrem offendamus, & iram atque judicium ipsius adversùs nos irritemus.

Timori Dei opponitur tum δεος ἀδιὲς, & servilis timor Dei, tum securitas: illa duo, ut disparata, hæc verò ut adversa.

Δεος ἀδιὲς, est timere ubi non est timor. Psal. 14. Hypocriticus timor, qualis est Papistarum, qui timent iram Dei, cùm violant traditiones stultas, cùm nolunt vesci carnibus diebus à pontifice Romano prohibitis, & non timent iram Dei, cùm pertinaciter propugnant Idololatriam, & homines pios innocentésque ferro & flammis persequuntur.

Servilis timor Dei, est metus iræ Dei & judicii divini adversus peccata, quo impii percelluntur ut fugiant Deum & fremant adversùs eum. Qualis est in impiis, ut Caino, Saule, Iuda. de quo timore dicitur. 1. Ioh. 4, 18.

De securitate.

Securitas, est vivere sine cura, sine timore iræ Dei & judicii divini adversùs peccata. Prov. 28, 14. Mat. 12, 44.

Securitas

Securitas duplex est: vel in impiis vel etiam in piis.

Securitas in impiis, & Epicuræus & Cyclopicus contemtus Dei, est stupor planè negligens iram & judicium Dei.

Securitas in piis, est frigidus & languidus timor Dei in rebus præsertim secundis.

Tantum de timore Dei: sequitur de subjectione erga Deum.

Subjectio erga Deum, est per quam nos Deo subjicimus ut Domino, ad præstandum ipsi obedientiam Legis.

Obedientia Legis, est perfecta omnium cogitationum, motuum & actionum internarum & externarum conformitas cum Lege Dei.

Hactenus de adjunctis bonorum operum Dei respectu.

Adjuncta bonorum operum hominum respectu sunt duplicia, vel nostri respectu vel proximi.

Nostri respectu sunt, hilaritas, conscientia, constantia & prudentia.

Hilaritas, est qua quis sponte & libenter cum gaudio obedit Legi Dei. Psal. 40,9. & 110,3. Coloss. 3,23.

Ei opponitur præcipitantia & coactio: illa ut disparata, hæc ut adversa.

Præcipitantia, est inconsideratus impetus aliquid faciendi sub prætextu obediendi Deo, cùm tamen nondum cognoveris an id quod facis vel facturus es, à Deo sit præceptum. Qualis est in Idololatris, qui propensi sunt ad exercendam idolomaniam & quævis à Sacrificulis præcepta.

Coactio, est quâ quis coactus obedit vel metu pœnæ vel pudore coram aliis, ideo talis quoque obedientia Deo ingrata est.

Conscientia, est reliqua in homine rectæ rationis scintilla, bonorum malorúmque facinorum index & judex. Ea est frenum ante peccatum & flagrum post peccatum.

Constantia,

De conſtantia. Conſtantia, eſt perpetua voluntas & ſtudium obediendi Legi Dei, vel, eſt in obedientia Legis ſtabilis & perpetua permanſio. Eph. 4, 14, 15. Dan. 1, 8.

Vel. Conſtantia, eſt perpetua voluntas bona opera faciendi

Ei opponuntur pertinacia & inconſtantia: illa ut diſparatum, hæc ut adverſum.

Pertinacia, eſt permanſio ſeu perſeverantia in malo, ut in impiis opinionibus, ſuperſtitionibus & ſceleribus contra conſcientiam.

Inconſtantia eſt temeraria voluntatis mutatio à bono ad malum. 2. Par. 24, 21. Iere. 26, 8, 16.

De prudentia. Prudentia, eſt per quam decorum obſervamus in unaquaque actione. Eph. 5, 15, 16, 17. id eſt, per quam obſervamus, quid agamus, quomodo, quo loco, quo tempore, coram quibus, ut omnia conveniente loco, tempore & modo fiant.

Prudentiæ partes duæ ſunt, perſpicientia & rectitudo electionis.

Perſpicientia, eſt accurata & ſolers conſideratio quid in unaquaq; actione deceat. Aliàs circumſpectio.

Rectitudo electionis, eſt per quam volumus & eligimus id quod decere perſpicimus. Pſal. 119. 173.

Prudentiâ igitur diriguntur conſilia & deliberationes, in electione rerum honeſtarum & utilium, omnéſque actiones, ut convenientia loci, temporis & perſonarum aliarúmque circumſtantiarum obſervetur.

Sic Paulus λατρείαν vult eſſe λογικὴν, Rom. 12, 1. Sic idem opportunitatem nos obſervare jubet in virtutum exercitio. Rom. 13, 11.

Prudentia in electione malorũ ſingularis requiritur.

Inter duo mala minus malum eſt eligendum. Sed hæc regula eſt intelligenda de malo pœnæ, pugnante cum bono utili, non autem de malo culpæ, pugnante cum bono honeſto. Nam ſi Deus utrumque malum prohibeat, neutrum eſt faciendum.

Ideo in malis culpæ nulla debet fieri electio: id eſt, mala culpæ & peccata nullo modo eligenda, ſed omnia ſunt ex æquo fugienda.

In malis pœnæ electio fieri poteſt, ut ſi bello captus

vel

vel in latronem incidens optionem habeat pecuniáne velit ſe redimere, an vitam profundere: præſtat pecuniam amittere, quàm vitam.

Sic 2. Sam. 24, 12. Davidi, cùm numerato populo peccaſſet, offert Dominus optionem triplicis pœnæ, è qua unam eligeret quam vellet, nempe, vel ſeptennem famem in toto regno: vel bellum, quo fugeret tribus menſibus coram hoſtibus ſuis eum perſequentibus: vel triduanam peſtem. Delibera nunc (ait Propheta Gad) & diſpice, quid referam ei qui me miſit. Ait ergo David ad Gad: Supra modum angor: ſed præſtat incidere in manum Domini (quoniam multæ ſunt miſerationes ejus) quàm in manus hominum.

Malorum, quorum inſonti omnino vel propter veræ religionis profeſſionem optio datur, nulla debet fieri electio, ſed expectandum & patienter perferendum quicquid Tyrannus decreverit: ne ſi ſupplicium & mortem ultrò eligas, te ſuſpicioni admiſſi alicujus ſceleris involvas & calumniis tuæ famæ ad poſteritatem aſpergendis occaſionem præbeas, te ſupplicium ultrò electurum non fuiſſe, ſi nullius culpæ conſcius tibi fuiſſes. Talis prudentiæ ſpiritualis exemplum eſt in hiſtoria Gallica, in Condæo. Carolus IX. Condæum ad ſe accerſit, & tres illi conditiones proponit, ex quibus unam eligeret: Miſſam, mortem, aut perpetuum carcerem. Condæus illi reſpondet, ſe nunquam Deo ita bene favente, commiſſurum, ut primum eligat: ex duobus alterum Regis voluntati & arbitrio relinquere: Deum verò rem omnem ſuâ providentiâ gubernaturum.

Prudentiæ opponitur verſutia ſeu calliditas & temeritas: illa ut diſparata: hæc ut adverſa.

Verſutia, eſt obſervatio noſtri commodi in aliqua re cum alterius detrimento. Prudentia enim eſt in bonis: at verſutia in malis.

Temeritas, eſt impetus aliquid agendi, conſilio & ratione carens. Prov. 15, 22.

Prudentia ſpiritualis imprimis cernitur in repellendis & vincendis tentationibus Satanæ.

Hactenus dictum est de bonorum operum adjunctis nostri respectu: sequitur de adjunctis proximi respectu.

Adjuncta bonorum operum proximi respectu sunt zelus pro gloria Dei, & cura vitandi scandala.

De sancto zelo Zelus pro gloria Dei, est vehemens animi dolor & indignatio adversus ea quæ contra Legem Dei fiunt, cum conatu suo loco illa prohibendi, Ioh. 2,14. Psalm. 68,10. 1. Reg. 19,10. Act. 17,16. Num. 25,11. 2. Corin. 7,7. & 11,2. Psal. 119,139.

Hic zelus cum scientia conjunctus esse debet, id est, cum voluntatis Dei & veritatis solida cognitione & prudentia spirituali.

Ei opponitur zelus sine scientia, & stupor.

Zelus sine scientia, est cœcus impetus, seu inconsiderata indignatio adversus ea quæ vel recta sunt & bona, vel si fiunt contra Legem Dei, ex ignorantia vel infirmitate fiunt. Roman. 10,2. Philip. 3,6. Act. 21,20. & 22,3. Gal. 1,14.

Oritúrq; vel ex ignoratione veritatis: vel ex neglecta charitate & ædificatione proximi.

Stupor, est cùm quis instar trunci planè non afficitur, etiamsi manifestè videat multa protervè fieri contra Deum.

Cura vitandi scandala, est cùm quicquid agimus, semper nobis propositum habemus, ne scandalo simus aliis, sed ut nostro exemplo potiùs ædificentur.

Tantum dictum est de adjunctis bonorum operum: sequuntur species.

Bona opera sunt duplicia: vel opera cultus Dei vel virtutis. Ille prima tabula decalogi præcipitur, hæc secunda.

De cultu Dei. Cultus Dei, est honor soli Deo juxta mandatum ipsius exhibendus. Si Pater vester sum, ubi honor meus. Gloriam meam alteri non dabo. ut qui honorat Filium, honoret Patrem. ut glorificent Patrem vestrum in cœlis. Prov. 3,9. Honorem exhibe Deo de opibus tuis.

Vero

Vero & ſincero cultui Dei adverſatur Atheiſmus, Magia, idololatria, & ſuperſtitio.

Atheiſmus, eſt cùm beluinæ quædam hominum naturæ Deum ullum, aut ſaltem providentiam Dei ullam negant eſſe. Pſal. 14.

Magia, eſt pactio cum Diabolis hoſtibus Dei, ut illorum ope cognoſcantur vel efficiantur res non neceſſarię, vel ad explendas malas cupiditates, vel ad oſtentationem, vel ad vitæ commoditatem ſpectantes, vel ut ab ipſis accipiantur, quæ à ſolo Deo petenda & expectanda ſunt. Deut. 18, 11.

Idololatria, eſt peccatũ cùm cultus ſoli Deo debitus ad creaturas transfertur. Geneſ. 31, 30, 34. Exod. 12, 12. Ier. 43, 13. Exod. 32, 1, 2. &c. Iud. 17, 3, 4.

Idololatrię inſignes ſpecies ſunt, adoratio panis ſeu Dei Maozim in miſſa Papiſtica, & cultus imaginum.

Superſtitio, eſt peccatum cùm effectus divinæ gratię vel vis aliqua naturalis, rei aut geſtui tribuitur ſine mãdato divino, aut ſine cauſis phyſicis. Colo. 2, 23. Gen. 32, 32. Iud. 18, 27. 1. Sam. 5, 5. Act. 17, 22.

Ejus infinitæ ſunt ſpecies apud Papiſtas: inter illas inſignis eſt exorciſmus.

Exorciſmus, eſt ſuperſtitio, quâ ſacrificus adjurat cacodęmonem per res divinas, eíque ſatis audacter ac pro imperio mandat, ut ex infante baptizando diſcedat.

Cultus Dei vel internus tantùm eſt vel ſimul internus & externus. Deut. 6, 5. & 10, 12. Matth. 15, 8.

Internus tantùm cultus Dei, eſt qui tantùm in animi affectu conſiſtit. Deut. 6, 5.

Eſtque vera cognitio Dei, amor erga Deum, humilitas, fiducia in Deum & patientia.

Vera cognitio Dei, eſt internus cultus Dei, cùm Deum ita cognoſcimus, ſicut ſe in Verbo ſuo patefecit. *De vera cognitione Dei.*

Adverſatur ipſi ignorantia Dei, quæ eſt non ſcire de Deo illa quę ſcire quiſque debet. Deinde adverſantur falſæ opiniones de Deo.

Amor erga Deum, eſt internus cultus Dei, cùm Deum tam ardenter amamus, ut omnia mandata ipſius cum quadam lætitiâ faciamus. 1. Ioh. 5, 3. 1. Tim. 1. Deut. 6. Matt. 22. *De amore erga Deum.*

Ei adversatur odium Dei, quod est, propter naturæ aversionem à Deo & justitia Dei & propter inclinationem ad peccatum, fugere Deum, eíque irasci peccatum accusanti & punienti. Rom. 8,7.

Adversatur etiam inordinatus amor sui aut creaturarum, qui est suas cupiditates aut voluntates, aut vitam, aut gloriam, aut alias res anteferre Deo & ipsius voluntati & gloriæ, ac malè ipsum negligere & offendere, quàm res illas, quas amamus amittere. Mat. 10,37.

De humilitate.

Humilitas, est internus cultus Dei cùm nostram miseriam agnoscentes omnem fiduciam nostrarum virium abjicimus, & agnoscimus quòd omnia bona quę in nobis sunt & per nos fiunt, non ex dignitate aut facultate aliqua nostra, sed ex gratuita Dei bonitate existant. 1. Cor. 4,7. Iob. 1,21.

Pauper spiritu, id est, humilis, qui agnoscit se naturâ suâ vel ex se nihil boni habere, nudum & pauperem esse omnium bonorum, sed à Deo gratuitò ea accipere.

Ei opponitur ficta humilitas & superbia.

Ficta humilitas, est hypocritarum. Col. 2,23. ut Pharisæorum. Matt. 6,6. Anabaptistarum & Monachorum, qui volunt esse humiles sine despectu, pauperes sine defectu, divites sine labore, ut Bernardus ait.

Superbia, est peccatum cum quis sine agnitione proprię infirmitatis, sese admiratur & magnificit propter aliquas dotes, & propria sapientia, sanctitate & viribus turget & confidit, sibi tribuit majora viribus & alios despicit. Prov. 8,13. & 16,5. Apoc. 3,17.

Hæc de humilitate: sequitur de fiducia in Deum.

De fiducia in Deum.

Fiducia in Deum, est internus cultus Dei, cùm deposita omni humanâ vel in nos ipsos vel in alias creaturas fiduciâ, in solo Deo acquiscimus. Ier. 17,5. & seq.

Ei opponitur tentatio Dei, fiducia creaturarum & diffidentia.

Tentatio Dei, est pręsumptio & confidentia efficiendi & præstandi aliquid cum stulto prætextu fiduciæ in Deum sine verbo atque voluntate Dei revelata: ut si quis nolit uti mediis à Deo ordinatis: ad quale peccatum

tum sollicitabat Diabolus Christum; Mat. 4, 6, 7.

Fiducia creaturarum, est peccatum, cùm quis in divitiis vel gratiâ Principum aliorúmque hominum fiduciam suam collocat. Eph. 5, 5. Mat. 6, 24. Psal. 146, 3. Ierem. 17, 5. & 48, 7.

Diffidentia, est peccatum cùm quis non acquiescit in Deo, non nititur ipsius solius auxilio, sed indulget timiditati, trepidationi & angori, & quærit vetita & non concessa media & auxilia. 1. Sam. 28, 5, 6, 7, 8.

Fiducia in Deum est vel fides viva vel spes in Deum.

De fide viva.

Fides viva, non est tantùm notitia & assensio quâ creditur verum esse quicquid verbum Dei credendum præcipit, sed etiam firma & constans fiducia, per quam pro se quisque obtinet & impetrat beneficia à Deo promissa.

Vel. Fides justificans, est fiducia quâ pro se quisque statuit certò meritum Christi sibi imputari & donari.

Fides non tantùm spiritualia, sed etiam corporalia beneficia accipit. Mat. 9, 22. dicit Christus mulieri hæmorrhousæ: Fides tua te servavit.

Ideo fides viva vel bonorum spiritualium est vel corporalium.

Ejus munera propria duo sunt:

Primum, quòd eâ pro se quisque certò persuasus est, ad se quoque promissiones Dei pertinere.

Alterum, quòd eâ solâ tanquam unicâ manu accipimus & apprehendimus oblata à Deo beneficia.

Ideo quoque eâ solâ coram Deo justificamur.

De justitia per fidem.

Iustificari solâ fide in Iesum Christum, est solâ fide tanquam manu & instrumento unico, apprehendere & sibi applicare justitiam Christi, obedientiâ mortis ipsius partam.

Fidei salvificæ opponitur incredulitas, dubitatio, fides implicita, & fides temporaria.

Incredulitas, est quæ audito & cognito verbo Dei ac præcipuè promissioni gratiæ non assentitur.

Dubitatio, est neque assentiri firmiter verbo Dei ac in hoc promissioni gratiæ, neque omnino repugnare, sed fluctuare nunc in unam: nunc in alteram partem languidè inclinare.

De fide implicita.

Fides implicita, est sensum suum obedienter Ecclesiæ submittere, & credere non intellecta, ac pro vero amplecti quicquid Ecclesia præscripserit, & inquirendi cognoscendique provinciam ad ipsam relegare, & non esse sollicitum, an vera præcipiat Ecclesia nec ne.

Hoc commentum implicitæ fidei Scholastici fabricarunt, & post eos ubiquitarii multis modis commendarunt, quo nomine crassissimam ignorantiam ornantes, miseræ plebeculæ, cum magna pernicie illudunt.

Fides temporaria, est amplecti veritatem ad tempus, sed sine regeneratione & fiducia promissionis gratiæ divinæ, ac propterea tentationibus, persecutionibus vel spe commodorum & honorum vinci & professionem veritatis rursus abjicere. Matt. 13,5,20,21. Luc. 8,13. Act. 8,13. Hebr. 6,4

Tantum de fide: sequitur de spe in Deum.

De spe in Deum.

Spes in Deum, est fiducia in Deum per quam futura beneficia Dei indubitatò expectamus, præsertim verò vitam æternam gratis dandam propter Christum & mitigationem præsentis crucis, vel liberationem ab illa juxta consilium Dei. 1. Pet. 1,13.

Fides accipit præsentia beneficia Dei: sed spes expectat futura.

Spei opponitur Papistica spes, dubitatio de accipiendis beneficiis Dei & desperatio.

Papistica spes, est peccatum cùm quis propter bullas seu diplomata damnati Antichristi Romani, ipsiúsq; indulgentias, vel propter sua bona aliqua opera, præsertim à Deo non præcepta, ut peregrinationes ad sepulchra Sanctorum, ædificationes monasteriorum, donationes Ecclesiasticas vel assumptam monachalem cucullam, &c. se vitam æternam adepturum falsò sibi persuadet.

Dubitatio de accipiendis beneficiis Dei, est peccatum cùm quis ambigit de vita æterna & defensione ac liberatione in tentationibus.

Desperatio, est peccata sua majora æstimare, quàm meritum Filii Dei: & misericordiam Dei in Filio Dei mediatore oblatam repudiare, ideóque non expectare

à

à Deo beneficia credentibus promissa, sed horribili sensu iræ Dei & metu futuræ abjectionis in pœnas æternas cruciari, ac Deum tanquam crudelem & tyrannum exhorrescere atque odisse. Gen. 4, 13. 1. Thes. 4, 13.

Tantum de fiducia: sequitur de patientia.

De patientia.

Patientia, est internus cultus Dei, cùm Deo nos subjicimus ad placidè ferendum crucem ab ipso nobis impositam. Num. 16, 46. Iob. 1, 20. & 2, 10.

Ei opponitur hypocritica tolerantia & impatientia.

Hypocritica tolerantia, est perpessio cruciatuũ sponte accersitorum: ut in Eremitis, in Monachis, in Flagelliferis qui seipsos virgis cædunt.

Impatientia, est peccatum, cùm quis non vult obedire Deo in perferendis ærumnis quas ipsi Deus imposuit, sed irascitur, & adversus Deum murmurat, & indignatur adversus eos qui eum læserunt, ut Israelitæ. Exod. 5, 21. & 14, 11. & 16, 3. & 17, 2, 3.

Hactenus de cultu Dei tantùm interno: sequitur internus & externus simul.

Cultus Dei simul internus & externus, est qui animi & corporis obsequium complectitur. Deut. 5, 19. & 6, 5. & 10, 12. Rom. 12, 1.

Estque tum invocatio Dei & gratiarum actio: tum confessio veritatis & rituum Ecclesiasticorũ observatio.

De invocatione Dei.

Invocatio Dei, est cultus Dei per quem Deum religiosè appellamus. Psal. 50, 15. & 116, 13.

Ei opponitur invocatio idololatrica & omissio invocationis.

Invocatio idololatrica, est peccatum, cùm id, quod Deus non est, invocatur. Qualis est invocatio Ethnica, Turcica, Iudaica, Papistica.

Omissio invocationis, est peccatum, cùm invocatio tam severè à Deo præcepta omittitur, quasi Deo non esset opus.

Invocatio Dei vel precatio est vel juramentum.

De precatione. Precatio, est invocatio Dei per quam bona necessaria animæ & corpori à Deo petimus, contrà autem mala deprecamur. Genes. 17,18. & 24,12. & 28,3. & 32,11. Exod. 8,12. 2. Sam. 7,29. 1. Reg. 8,15.

Eáque vel absoluta est Deitatis λατρεία, vel est ἀξίωμα mediatoris proprium.

Absoluta Deitatis λατρεία, est quæ propriè in Deitatem dirigitur: eáque etiam Christum quatenus Deus est adoramus, quáque ei honorem omnipotentiæ, omniscientiæ & omni præsentiæ tribuimus.

De adoratione mediatoris Christi. Ἀξίωμα mediatoris proprium, est adoratio quę Christo defertur tum personæ, tum officii ipsius ratione, ut mediatori θεανθρώπῳ.

Ut enim agnitio Christi consistit in agnitione personæ & officii ipsius: sic in invocatione utróque modo cogitandum est de Christo.

Primùm invocandus est, ut Deus dator bonorum cum Patre & Spiritu Sancto.

Deinde cogitandum est de eo tanquam de mediatore seu intercessore, propter quem nos recipi & exaudiri credimus.

Ea adoratio mediatoris una est, non respectu & gradu, sed numero.

Ut autem fides nostra in agnitione Christi naturas discernit: ita etiam in adoratione ipsius.

Ideo adoratur mediator non humanitatis creatę, sed ęternę & omnipotẽtis Deitatis ipsius causâ. Nam Deitas creatrix omnium, est proprium religiosæ adorationis subjectum: non humanitas, quia est creatura. Cyrillus ad Theodosium regem de recta fide. Num igitur tãquam hominem adorabimus Emanuelem? Absit: deliramentum enim hoc esset, & deceptio ac error. In hoc enim nihil differremus ab his, qui creaturam colunt ultra conditorem & factorem.

Utque fides ei tribuit juxta utramque naturam, quod secundùm scripturas oportet: ita petit ut in opere exauditionis, tanquam officii apotelesmate, secundùm utramque naturam agat, quod suum est.

Secundùm Deitatem, ut inspiciat corda, audiat gemi-

tus,

tus, det Spiritum Sanctum & alia bona pro immensa sua sapientia & potentia.

Secundùm humanitatem verò & preces & exauditionem etiam humanâ suâ voluntate approbet & in ea quod ipsius est faciat. Sic precatur Ecclesia Apoc. 22,20. *Etiam veni Domine Iesu:* in qua precatione petit, non ut Deitate sua conspicuus veniat in nubibus, sed sua humanitate: liberet verò & glorificet Ecclesiam divina sua omnipotentia, unus & idem ille Dominus Iesus.

Hæc de precationis distributione: sequitur formula precandi.

Omnium optima formula precandi est oratio Dominica.

Oratio Dominica, est quam ipse Dominus Christus nos docuit. Matth. 6,9. Luc. 11,2. Pater noster qui es in cœlis, &c. *Orationis Dominicæ explicatio.*

Orationis Dominicæ quatuor sunt partes: Exordium, Petitiones, Confirmatio & Epilogus.

Exordii duæ sunt partes: prima docet quem debeamus invocare, nempe Patrem nostrum.

Pater noster est Deus.

Appellamus autem Deum, PATREM, propter duas causas.

1. Quia genuit sibi filium ab æterno, nempe Iesum Christum.
2. Quia nos adoptavit in filios propter Christum.

In precibus verò PATREM nominamus tribus de causis.

1. Ut oraturi discernamus nostram invocationem ab infidelium precibus, convertentes nos ad hunc Deum, qui se in Filio suo Iesu Christo patefecit.
2. Ut excitetur in nobis filialis timor & reverentia Dei.
3. Ut precemur cum fiducia, certò statuentes nos à Deo velut à Patre propitio exaudiri, quia nos in filios adoptavit, quia Christi membra sumus, quia ipsum per Christum invocamus.

NOSTRUM autem Patrem dicimus propter duas causas:

1. Ut cogitemus, non pro nobis tantùm, sed pro cæteris etiam hominibus orandum esse, præsertim pro iis, qui nobiscum sunt membra in corpore Christi, & filii ejusdem Patris in cœlis.

2. Ut animosiùs precemur, cogitantes totam Ecclesiam, ipsúmque mediatorem ut fratrem nostrum nobiscum orare.

Hæc est prima exordij pars: sequitur secunda.

Secunda pars est: *Qui es in cælis.*

Deum esse in cœlis significat esse summè omnipotétem, qui possit nobis dare ea, quæ ab ipso petimus.

Deus quidem ubique est. Iere. 23, 23, 24. Esa. 66, 1. sed cœlum est velut ordinarium Dei palatium, in quo ejus solium est & præcipua Dei gloria apparet: quia magnificentiùs se patefacit Deus in cœlo angelis & beatis animis. Psal. 115, 16. Psal. 19.

Additur verò *Qui es in cœlis* propter quinq; causas:

1. Ne de cœlesti majestate Dei terrenum aut carnale quippiam cogitemus.

2. Ut precaturi animos nostros è terra elevemus ad cœlos. Psal. 25. & 121.

3. Ut à Dei omnipotentia, quæcunque animo & corpori sunt necessaria, expectemus.

4. Ut memores simus, Deum nostrum cœli & terræ dominium tenere, ubique adesse, & invocantes exaudire atque juvare.

5. Ne adorationem Dei ad locum aut rem ullam dirigamus, præter ipsius mandatum.

Tantum de exordio orationis Dominicæ: sequuntur petitiones.

Petitiones orationis Dominicæ sunt duplices: priores tres pertinent ad gloriam Dei, posteriores tres ad nostram necessitatem.

I. Petitio. Prima petitio est: *Sanctificetur nomen tuum.*

Eâ petimus sanctificationem nominis divini.

Sanctificatio nominis divini, est glorificatio Dei.

Eáque

Eáque fit tum vera fide, tum bonis operibus.

Sensus igitur primæ petitionis est: Da ut te vera fide & bonis operibus glorificemus.

Vera fide nomen Dei sanctificamus, cùm Deum ipsíusq; opera rectè agnoscimus.

Bonis operibus nomen Dei sanctificamus tum rectè colendo Deum, tum virtutis studio: ídque ad hunc finem, ne sanctissimum nomen Dei propter nos contumelia afficiatur, sed potiùs ut alii videntes nostra bona opera glorificent Patrem nostrum cœlestem.

Secunda petitio est: *Veniat regnum tuum.* II. Petitio.

Eâ petimus adventum regni Dei.

Adventus regni Dei, est gubernatio Ecclesiæ.

Isque duplex est: vel ad totam Ecclesiam, vel ad singula Ecclesiæ membra.

Adventus regni Dei ad totam Ecclesiam, est cùm Deus Ecclesiam tuetur.

Idque dupliciter: tum conservando & augendo suam Ecclesiam, tum destruendo Ecclesiam diaboli.

Adventus regni Dei ad singula Ecclesiæ membra, est cùm Deus unumquemq; ita regit verbo & spiritu suo, ut se illi magis magísque subjiciat.

Sensus igitur secundæ petitionis est: guberna Ecclesiam tuam & singula ejus membra spiritu & verbo tuo.

Tertia petitio est: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, ita etiam in terra.* III. Petitio.

Eâ petimus ut omnes divinæ voluntati obtemperémus, pravísque cupiditatibus edomitis, toti Deo serviamus, tam promptè & voluntariè, quàm sancti Angeli in cœlo.

Voluntas hîc significat quod Deo gratum est, quódque ideo à nobis requirit.

Sic explicatæ sunt priores tres petitiones: sequuntur tres posteriores.

Posteriores tres petitiones ad nostram necessitatem pertinent, tum quoad corpus, ut petitio quarta: tum, quo ad animam, ut quinta & sexta.

IV. Petitio. Quarta petitio est: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Eâ petimus sustentationem hujus temporalis vitæ. Panis quotidianus, est quicquid ad præsentem vitam tuendam est necessarium.

Eum quidem Deus manuum nostrarum labore parari jussit, sed tamen cum à Deo petimus, quia neque labor noster, neq; labore parta prosunt nobis absq; divina benedictione, quę & ipsa panis quotidiani pars est.

Quod si dives es & abundans, attamen velut inops, opum tuarum benignum usum indies exorato, & cogitato plenas cellas, & plenas arcas subitò posse evacuari, nisi manu Domini custodiantur: imò nisi Dominus cibũ potumq; suâ benedictione asperserit, edentes tabescent fame, & bibentes arescent siti. Ezech. 4, 14. Comedetis & non saturabimini. Levit. 26, 26.

Nominamus eum quidem NOSTRUM panem, & tamen petimus eum nobis à Deo dari: quia Deo dono fit noster: neque potest quicquam esse aut fieri nostrum, nisi dante Deo.

Nominamus eum NOSTRUM panem, ut eo contenti non appetamus alienum.

Dicimus verò nostrum panem & non meum, ut quisque sciat, se non sibi soli, sed etiam suo proximo panem necessarium petere debere.

Petimus deniq; QUOTIDIANUM panem, eúmq; HODIE nobis dari propter quatuor causas.

1. Ut diffidens de crastino sollicitudo è nostris animis eximatur.

2. Ut meminerimus pro quotidiano pane, quotidianis precibus opus esse.

3. Ut brevitatis hujus nostrę vitę corporalis quotidię admoneamur, quasi hodie tantum adhuc victuri.

4. Ne ultra præscriptũ Dei imoderatè & avarè quicquam appetamus & concupiscamus.

V. Petitio. Quinta petitio est: *Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.*

Eâ petimus remissionem peccatorum seu justificationem.

Cúmq; Deus in fœdere suo ęterno sponte & gratuitò promi-

promiserit nobis remissionem peccatorum, nos quoque sibi obligavit stipulatione bonæ conscientiæ ad remittendum fratribus nostris.

Ita ut ipse non teneatur nobis servare promissa, nisi nos quoque steterimus obligatione & pactis seu conditione.

Nostra igitur remissio non est causa remissionis divinæ: nam Deus prior sponte promisit nobis remissionē, cùm adhuc inimici ejus essemus. Deinde nos sibi obstrinxit ad condonandum etiam fratribus.

Causa non potest esse posterior suo effecto.

At nostra remissio, posterior est remissione divina.

Ergo nostra remissio non est causa remissionis divinæ.

Assumptio certa est: nam ii soli possunt ignoscere fratribus, quibus à Deo remissa sunt peccata: hócque testimonium sentimus in cordibus nostris condonata esse nobis delicta, si firmiter nobis sit propositum, omnibus, qui nos offenderunt, ex animo ignoscere.

Sexta petitio est: *Et ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo.* VI Petitio.

Eâ petimus, tum gubernationem nostri per Spiritum Sanctum & verbum, ne in peccata labamur: quæ gubernatio pars est regenerationis seu sanctificationis: tum liberationem à malis, id est, Satanæ insidiis, mundi fallaciis, carnísque illecebris, tanquam causis peccatorum.

Sic fuit secunda pars orationis Dominicæ: sequitur tertia.

Tertia pars orationis Dominicæ, est confirmatio, quæ continet tria argumenta, quibus confirmatur fides nostra, Deum certò nostras preces exaudire. Duo argumenta ducta sunt ab adjunctis Dei, tertium à fine exauditionis.

Primum adjunctum Dei est: quia est rex imperium habens in omnia.

Secundum, quia est potens, qui possit nobis dare quæ petimus.

Argu-

Argumentum à fine est, ut laudetur & celebretur in omne ævum, quòd sit Deus & Pater benignissimus.

Hactenus etiam fuit tertia pars orationis Dominicæ: restat Epilogus.

Epilogus orationis Dominicæ constat uno verbo: AMEN: quod est tum votum, ut rata sint quę petimus, tum nota fiduciæ, quâ indicamus nos persuasos esse, Deum certò preces nostras exaudisse.

Benedictio. Precationis peculiaris species, est Benedictio, quâ bona à Deo precamur aliis.

Ea omnibus debetur, sive amicis sive inimicis.

Eique opponitur execratio seu imprecatio.

Precationi ad Deum opponitur precatio prava, precatio idololatrica, omissio precum, battologia inanis, & tædium in orando.

Precatio prava, est petitio earum rerum à Deo, quæ divinæ voluntati ac legi repugnant.

Precatio idololatrica, est quæ ad deos fictos gentium vel sanctos demortuos dirigitur: qualis est Ethnicorum & Papistarum.

Omissio precum, est peccatum, cùm quis omittit preces, perinde acsi auxilio & benedictione Dei non egeret.

Battologia inanis, est longarum seu multarum precum recitatio inani labiorum strepitu sine vero motu cordis & sine fide. Huc pertinent monachorum boatus templici.

Tædium in orando, est peccatum cùm quis aliarum rerum studio, animo peregrinante & cupiente preces finire, precatur.

Hactenus de precatione: sequitur de Iuramento.

De juramento. IURAMENTUM, est invocatio Dei, quâ ipsum nostri sermonis testem, tanquâ unicum cordium scrutatorem appellamus, ut testimonium det veritati, si scientes fallamus, & fallaciam vindicet & ulciscatur. Deut. 6, 13. & 10, 20. Rom. 1, 9. 2. Cor. 1, 23. & 11, 31. Phil. 1, 8.

Partes

Partes juramenti duæ ſunt: Conteſtatio Dei & imprecatio.

Conteſtatio Dei, eſt quâ jurans Deum ſuę aſſeverationis teſtem citat. Rom. 1,9. Deut. 6,13. & 10,29. Ioſ. 23, 7. Eſa. 65, 16. Iere. 5,7. & 12,16.

Imprecatio, eſt quâ jurans ſe devovet & ad pœnam perjurii obligat, ut anathema ſit coram Deo & Deus eum puniat, ſi ſciens fallat. 1. Reg. 2,23.

Iuramentum eſt duplex: delatum vel ſpontaneum.

Iuramentum delatum, eſt quod à Magiſtratu ſeu judice ſeu parte adverſa defertur, Græcè dicitur ἐπιόρκιον. Heb. 6,16.

Iuramentum ſpontaneum, ſed tamen vocatione cogente factum, eſt quod fit, ut vel noſtram vel aliorum famam & vitam tueamur, ut Paulus confirmat ſe vera dicere allegato Deo teſte. Rom. 9,1.

Cum jurisjurandi religione pugnant, recuſatio legitimi juramenti & impium juramentum.

Recuſatio legitimi juramenti eſt peccatum cùm quis recuſat præſtare juramentum, quod vel magiſtratus juſtè exigit, vel alioqui neceſſitas, hoc pacto fidem firmari & veritatem ſtabiliri poſtulat: quò & gloria Dei illuſtretur, & aliorum ſaluti conſulatur.

Impium juramentum, eſt peccatum, cùm contrà legem Dei juratur.

Eſtque vel temerarium, vel idololatricum vel perjurium, vel de re illicita.

Iuramentum temerarium, eſt cùm quis temere & ſine cauſa ex levitate quadam & profana conſuetudine jurat: ut ſi quis iratus jurat ſe occiſurum alterum.

Iuramentum idololatricum, eſt cùm juratur per ſanctos aut alias creaturas.

Perjurium, eſt peccatum cùm quis ſciens & volens per juramentum fallit, ſive in teſtimonio dicendo, ſive in profitendo aliquid de ſe, ſive in promiſſione de ſua voluntate. Exod. 20,7. Levit. 19, 12. Matth. 5,33. Iacob. 5,12.

Iuramentum de re illicita, eſt cùm aliquis jurat ſe facturum, quod verbo Dei repugnat: Quale erat Iephte & Herodis.

Tantum

Tantum de Invocatione Dei: sequitur de Gratiarum actione.

De gratiarum actione.

Gratiarum actio, est cultus Dei, cùm Deo pro bonis datis vel promissis debitam laudē reddimus. Psa.50,15.

Partes ejus duæ sunt, Approbatio operum Dei, & Celebratio Dei.

Approbatio operum Dei, est pars gratiarum actionis, cùm omnia quæcunque Deus facit approbamus quòd bona sint, ac propterea placere nobis sinimus. Sic decet nos etiam approbare judicia Dei, providentiam ipsius & gubernationem tempestatum, serenitatis, pluviarum, bellorum, valetudinis nostræ, rei familiaris & cæterarum rerum omnium. Marc.7,37. Psal.119,71.

Celebratio Dei, est gratiarum actionis pars, cùm Deum in omnibus operibus ipsius laudamus.

Ei conjuncta est admiratio operum Dei & recta æstimatio.

Admiratio operum Dei, est pars celebrationis Dei, cùm opera ejus vero cordis motu admiramur. Psal.8,2. Marc.7,37. Matth.9,33.

Recta æstimatio operum Dei, est pars celebrationis Dei, cùm opera ejus magnificimus & extollimus. Psal. 8,2. & seq. & 104. toto.

Gratiarum actioni opponitur Hypocritica gratitudo, qualis est Pharisæi, Luc.18.11. & ingratitudo erga Deum, quæ est peccatum, cùm Deo bona quæcunq; habemus non referuntur accepta: item cùm quis utitur Dei donis sine gratiarum actione: item cùm quis reprehendit opera vel judicia Dei, vel cùm quis parvi pendit opera Dei, aut non est contentus eo quod Deus dat, & Deo quid aut quomodo agere debeat præscribit.

Atque hæc de gratiarum actione: sequitur de confessione veritatis.

De confessione veritatis.

Confessio veritatis, est cultus Dei, cùm veritatem cœlestem ex Scriptura sancta cognitam apertè & intrepidè profitemur. Matth.10,32. 1. Pet.3,15.

Eáque fit vel ore vel martyrio.

Ore,

Ore, cùm ſine ambiguitate & obſcuritate profitemur, quod corde ſentimus. Rom. 10, 10.

Martyrio, cùm cruce, imò etiam cùm Deo ita viſum eſt, morte ipſa veritati teſtimonium perhibemus. 1. Pet. 2, 20. & 3, 14. & 4, 12. Phil. 1, 29.

Confeſſioni veritatis opponuntur hæreſis, corruptela doctrinæ, blaſphemia, & omiſſio doctrinæ, fuga doctrinæ, tædium doctrinæ, confeſſio intempeſtiva, diſſimulatio veritatis & abnegatio veritatis.

Hæreſis, eſt peccatum, cùm quis errat in fundamento ſalutis & in errore pertinaciter perſeverat. *De hæreſi.*

Ideo non eſt confeſſio veritatis illa impia pertinacia hominũ fanaticorum in ſuppliciis, quæ perferunt propter ſeditionem, ut Anabaptiſtarum, aut errores palam blaſphemos, ut Serveti qui anno 1552. Genevę eſt combuſtus.

Hi enim non ſunt Martyres Chriſti: quia cauſa facit Martyrem, non Martyrium, ut ait Cyprianus. Et Apollinaris: ubi non eſt veritas Chriſti, ibi non eſt veritas Martyrii.

Corruptela doctrinæ, eſt cùm falſi aliquid de Deo, vel voluntate ejus aſpergitur.

Blaſphemia, eſt de Deo pugnantia cùm ipſius natura & voluntate dicere. Levit. 24.

Omiſſio doctrinæ, eſt neglectus occaſionum & facultatis erudiendi alios & ad veritatis agnitionem perducendi, præſertim liberos aut alios, qui fidei & curæ noſtrę ſunt commiſſi.

Fuga doctrinæ, eſt peccatum cùm quis fugit colloquia de Deo & rebus divinis.

Tædium doctrinæ, eſt peccatum cùm quis ſatietate capitur verbi Dei.

Confeſſio intempeſtiva, eſt quæ fit ſine vocationis ſive officii faciendi neceſſitate, ideo nec gloria Dei tali confeſſione illuſtratur, nec cujuſquam ſalus promovetur, ſed irritatur potiùs vel deriſio vel exagitatio veritatis vel ſævitia hoſtium adverſus pios.

Diſſimulatio veritatis, eſt peccatum cùm quis diſſimulat veritatem, ubi gloria Dei & ſalus proximi confeſſionem poſtulat.

Abnegatio

Abnegatio veritatis, est peccatum cùm quis veritatem certò agnitam abnegat.

Abnegatio veritatis est duplex vel ex infirmitate profecta, vel voluntaria.

Illa est, cùm quis subitò & inopinato metu victus & coactus, ore quidem abnegat veritatem vitandi periculi causa, corde tamen nihilominus eam retinet, nec ab ea deficit. Qualis abnegatio fuit Petri Apostoli, qui Christum abnegavit. Mat. 26, 69. & seq.

Abnegatio veritatis voluntaria, est peccatum, cùm quis abnegat veritatem certò cognitam nullo subito & inopinato metu victus & coactus, sed sponte & consilio, vel retinendæ dignitatis & vitę causa, vel spe adipiscendorum bonorum & divitiarum.

Apostasia. Eáque propriè dicitur Apostasia, id est, impia defectio à veritate: Qualis fuit Iuliani Apostatæ & Franciſci Spiræ.

Hactenus de confessione veritatis: sequitur de rituum Ecclesiasticorum seu Ceremoniarum observatione.

De ritibus Ecclesiastico. Ritus Ecclesiasticus seu Ceremonia, est cultus Dei quo Deum externis modis colimus.

Estque vel communis veteris & novi testamenti, vel proprius alterius.

Ritus communis veteris & novi testamenti est tum sanctificatio diei festi, tum pium jejunium & votum.

De sanctificatione diei festi. Sanctificatio seu celebratio diei festi, est ritus Ecclesiasticus, cùm ab humanis corporeisque laboribus quieſcentes in publicum Ecclesiæ cœtum convenimus ad cultus divini exercitium.

Eáque complectitur tum meditationem verbi Dei, & preces solennes: tum Sacramentorum administrationem & exercitium operum misericordiæ.

Exercitium operum misericordiæ tres habet partes, tum collationem Eleemosynarum, tum visitationem solatio egentiũ, tum adjumentũ auxilio nostro egentiũ.

Collatio eleemosynarum facienda est ad subventionem & allevationem pauperum, ægrotantium, vinctorum,

rum, captivorum, incendia vel naufragium perpessorum & aliorum egentium.

Visitatio solatio egentium, est ut orphanorum & viduarum in afflictione ipsorum, Iacob. 1,27.

Adjumentum auxilio nostro egentium, est ut ægrotorum, obsessorum, captivorum, aut in alijs periculis vitæ constitutorum. Mat. 12.

Hactenus de sanctificatione diei festi: sequitur de pio jejunio.

Pium jejunium est externus cultus Dei, cùm ab omni cibo & potu ad certum tempus abstinetur, pietatis ardentiùs exercendæ gratiâ. *De pio seu religioso jejunio.*

Ejus fines sunt:

1. Ut lasciviens caro fame veluti dometur. 1. Corinth. 9,25,26,27.

2. Ut ad preces serio cordis affectu concipiendas nos ipsos præparemus. Luc. 2,37. Act. 13. & 14,23. 1. Corinth. 7,5.

3. Ut nos totos cum vero animi dolore coram Deo abjiciamus & humiliemus.

4. Ut testimoniis etiam externis tum nos ipsos, tum alios ad resipiscentiã acuamus Ioel. 2,14,15. 1. Sam. 7,5,6.

Iejunium privatum, est quod quis sibi ipse privatim indicit ob privatas causas & necessitates. 2. Sam. 3,35. & 12,16. Nehem. 1,4. Esth. 14,2. Dan. 9,3.

Iejunium publicum, est quod ex presbyterii & pii Magistratus auctoritate universaliter indicitur, quoties ita postulat temporum ratio & imminens calamitas peccatis nostris debita. Iud. 20,26. Ioel. 2,12. Ion. 3,5,7. 1. Sam. 7,6. 2. Sam. 1,11,12. Esth. 14,3. Act. 13,2,3. & 14,23

Tantum de jejunio: sequitur de voto.

Votum, est promissio solennis Deo facta, de re aliqua licita & sancta, quæ in nostra est potestate, & Deo grata, nomine gratitudinis ipsi debitæ præstanda. *De voto.*

Estque vel conditionale vel absolutum.

Votum conditionale, est votum cui conditio temporis vel loci vel alterius circumstantiæ est annexa, ut nimirum

nimirum præstetur, vel non præstetur id quod votum est, habita ratione conditionis.

Votum absolutum, est quod omni conditione caret, Psal. 102.

Utrumque votum vel temporarium est vel perpetuum.

Temporarium, est quo se quis saltem ad certum tempus ad aliquid obligat.

Votum perpetuum, est quo se quis per omnem vitam ad aliquid obstringit, ut Psal. 102.

Hactenus de ritu communi veteris & noui testamenti: sequitur proprius alterius.

Ritus proprius alterius testamenti vel veteris est vel novi.

Ritus proprius veteris testamenti vel publicus est, vel privatus.

Ritus publicus, erat qui in solenni conventu fiebat.

Erátque tum sacrificium Iudaicum, tum observatio temporum sacrorum.

De Sacrificiis. Sacrificium Iudaicum, erat ritus divinitus institutus, ut esset admonitio de beneficiis per Messiã exhibendis.

Erátque vel expiatorium vel eucharisticum.

Expiatorium, erat typus venturæ victimæ, quæ pro peccatis humani generis fuerat mactanda. Græcè ἱλαστικόν: aliâs piaculare appellatur.

Erátque vel propitiatorium vel redimentia.

Sacrificium propitiatorium, erat in quo tota victima comburebatur ad placandum Deum, vocatur etiam Holocaustum.

Sacrificia redimentia, erant quibus redimebantur peccata.

Erantque vel sacrificium pro peccato, vel sacrificium pro delicto.

Sacrificium pro peccato, erat sacrificium redimens peccata errore aut ignorantiâ commissa.

Sacrificium pro delicto, erat sacrificium redimens delicta petulanter patrata.

Eucharistica

Eucharistica sacrificia, erant quæ gratiarum actionis nomine, pro beneficiis Deo offerebantur. Gen. 8, 20.

Eucharistica sacrificia erant libatio, hostia pacificorum, & sacrificium laudis.

Libatio, erat sacrificium Eucharisticum in quo cibi offerebantur.

Horum partem capiebat Sacerdos, reliquum cum thure adolebatur.

Hostia pacificorum, erat sacrificium in quo sola pinguedo victimarum incendebatur: reliquum recipiebant ii, quorum erant victimæ.

Sacrifibium laudis, erat sacrificium in quo pecudes mactabantur & libamenta immolabantur ad celebrandas laudes Iehovæ debitas.

Hactenus fuerunt sacrificia: sequitur observatio temporum sacrorum.

Tempora sacra in veteri testamento erant tum diei, tum anni. *De sacris temporibus in veteri testamento*

1. Diei vel quotidiani, quibus juge sacrificium offerebatur.

Iuge sacrificium, erat sacrificium quod offerebatur Deo quotidie manè & vesperi. Exod. 29, 38, 39.

2. Vel septimi quique quibus Sabbatum observabatur. *Sabbatum.*

Sabbatum erat dies festus qui septimo quoque die celebrabatur. Exod. 20, 8.

3. Vel Calendarum, quibus Neomeniæ celebrabantur.

Neomenia, erat dies festus qui novilunio quolibet religiosè observabatur. Num. 28, 11.

Hactenus de temporibus sacris diei: sequuntur tempora sacra anni.

Tempora sacra anni, sunt quibus celebrabantur solennitates vel anniversariæ vel post plures annos recurrentes.

Solennitates anniversariæ, erant quæ quotannis recurrebant.

Eæque vel ab ipso Deo erant institutæ vel à Iudæis.

Ab ipso Deo institutę vel magnę fuerũt vel minores.

Magnæ, Pascha, Pentecoste, & Scenopegia.

Pascha, erat dies festus magnus, qui 14. die mensis Abib celebrabatur, ad sempiternam memoriam eductionis populi Israelitici ex Ægypto. Exod. 12, 1.

Pentecoste, erat dies festus magnus die quinquagesimo à secunda feria paschæ, quo quælibet familia duos panes ex primitiis frugum offerebat, ad memoriam promulgatæ Legis. Exod. 23. 16. Levit. 23, 15.

Scenopegia erant dies festus qui die 15. mensis septimi celebrabatur ad memoriam conservationis populi in tabernaculis deserti commorantis, & gratiarum actionem pro terra promissa ipsis tradita & pro annuis frugibus collectis. Deut. 16.

Solennitates minores, erant quæ minore cum apparatu celebrabantur.

Erántque vel festum tubarum vel festum expiationum.

Festum tubarum, primo die mensis septimi: Expiationum decimo ejusdem sacrum erat. Levit. 23. ver. 24, 27.

Adhuc fuerunt solennitates ab ipso Deo institutæ.

A Iudæis institutæ fuerunt, Purim & Encænia.

Purim, fuerunt imperativæ feriæ Iudæorum à regina Ester & Mardochæo institutæ, quæ 14. & 15. diebus mensis Adar celebrabantur ad memoriam crudelissimi consilii Amani, de Iudæis ubique trucidandis divinitus impediti. Esth. 9, 17.

Encænia, fuerunt imperativæ feriæ Iudæorum, à Maccabæo institutæ, quæ die 5. mensis noni celebrabantur ad memoriam instauratę religionis templi, antè ab Ethnicis profanati. 1. Machab. 4, 59.

Adhuc fuerunt solennitates anniversariæ.

Solennitates post plures annos recurrentes erant Sabbatum terræ & Annus Iubilæus.

Sab-

Sabbatum terræ, erat solennitas septimo quoque anno recurrens, quo a cultu agrorum & vinearum cessandum fuit. Levit. 25.

Annus jubilæus, erat solennitas quinquagesimo quoq; anno recurrens, quo omnes possessiones ad suos dominos redibant, & servi Hebræi manumittebantur. Levit. 25.

Hactenus de ritu veteris Testamenti publico: sequitur de privato.

Ritus privatus erat, quē quilibet privatim observabat. Erátque tum purificatio multiplex, tum observatio discriminis ciborum.

Hactenus fuit ritus proprius veteris testamenti: restat ritus proprius novi testamenti.

Ritus proprius novi testamenti, est observatio dierum festorum novi testamenti.

Dies festus novi testamenti vel hebdomadarius est vel anniversarius.

Hebdomadarius, est dies Dominicus.

Dies Dominicus, est primus hebdomadæ dies, quo Christiani solennes conventus agunt ad exercendum publicum cultum Dei. Act. 20, 7. 1. Corinth. 16, 2. Apoc. 1, 10. *De die Dominico.*

Celebratur autem Dominicus dies loco Sabbati propter tres causas. 1. Ut perpetuò revocet in memoriam Dominicæ resurrectionis beneficium. 2. Ut credentes intelligant, se Legis jugo liberatos esse. 3. Ut sit discrimen inter nos Christianos & Iudæos Legi etiamnum sed abs re addictos.

Dies festus novi testamenti anniversarius est festum vel Christi vel Spiritus Sancti.

Festum Christi, est quod à Christianis in honorem salvatoris nostri Christi celebratur repetitione & sancta recordatione præcipuorum beneficiorum ab ipso Ecclesiæ præstitorum.

Estque vel festum nativitatis Christi, vel circumcisionis Christi, vel passionis vel resurrectionis vel ascensionis Christi ad cœlos.

Hactenus de festis Christi.

Festum Spiritus Sancti est festum pentecostes, quo recolitur memoria missionis Spiritus Sancti.

Hactenus dictum est de cultu Dei: sequitur de virtute.

De virtute. VIRTUS, est serium voluntatis propositum honestè vivendi, externis actionibus perpetuò & constanter sese exerens. vel, virtus, est inclinatio voluntatis ad actiones honestas.

Psal. 1, 2. & 39, 2, 10. & 102, 2, 3. & seq. & 119, 2, 5, 8, 16, 30, 35, 40, 44, 47, 57, 59, 60, 69, 70, 77, 93, 106, 111, 112, 115, 117, 121, 128, 141, 143, 153, 157, 166, 167, 168, 173, 174. Dan. 1, 8. Prov. 16, 1. Iob. 39, 37, 38. in quibus locis semper voluntas seu propositum voluntatis distinguitur ab ipsis actionibus ex proposito voluntatis profectis.

Tit. 3, 8. 1. Thess. 4, 12. Rom. 12, 17.

Quemadmodum enim vera fides non est ociosa, sed actuosa & efficax per charitatem: ita vera virtus etiam non est nuda animi affectio vel nudū voluntatis propositum, sed exerit se externis actionibus honestis, illisque elucet: unde ejus laus omnis in actione consistit.

Virtus igitur honestarum actionum est effectrix: ideo ipsæ quoque honestæ actiones per metonymiam effecti appellantur passim virtutes.

Virtuti opponitur simulata virtus & vitium: illa ut disparata, hoc ut adversum.

Simulata virtus, est falsa vel fucata species, prętextus seu apparentia virtutis.

Vitium. Vitium, est propositum voluntatis inhoneste vivendi.

Virtus vel ad nos ipsos refertur, vel ad alios.

Ad nos ipsos refertur tum cupiditas sapientiæ & φιλοζωΐας, tum fortitudo & temperantia: & studium verę gloriæ.

Cupiditas

Cupiditas ſapientiæ, eſt virtus, per quam ſapientiæ ſtudemus. Proverb. 1. & 2. & 3. & 8. 1. Cor. 14. 1, 39. Prov. 4, 1, 2, 4, 5, 6. &c. Prov. 16, 16. Hujus virtutis eſt rimari & ſcrutari obſcura ut intelligantur. Ideo Chriſtus diſcipulos ſuos objurgat, quòd non intelligant ipſius conciones, Marc. 7, 18. id eſt, quòd non rimentur & ſcrutentur ut intelligant. *De cupiditate ſapientiæ.*

Ei opponuntur curioſitas, cupiditas apparentis ſapientiæ, & odium ſapientiæ.

Curioſitas, eſt ſtudium cognoſcendi non patefacta à Deo, vel non neceſſaria, vel non ad ſe pertinentia.

Cupiditas apparentis ſapientiæ, eſt vitium cùm quis falſam ſapientiam, hoc eſt, vel κακοτεχνίαν, malas artes, aut ματαιοτεχνίαν, id eſt, vanas artes ſectatur.

Odium ſapientiæ, eſt peccatum ſi quis ſapientiam averſatur.

Tantum de cupiditate ſapientiæ: ſequitur de bona æmulatione.

Æmulatio bona Καλοζηλία, h. e. ſtudium imitandi bonos, eſt virtus cùm aliorum benefacta imitamur ſeu ſtudemus imitari. ut Dei. Luc. 6, 36. Matth. 5, 44. & ſeq. ut Chriſti. Matt. 11. 29. ut piorum & fidelium. 2. Cor. 9, 2. ubi zelus dicitur hæc virtus.

Ei opponuntur κακοζηλία & imitatio impiorum ſeu perverſa imitatio.

κακοζηλία, hoc eſt, inepta imitatio, eſt peccatum, cùm quis aliorum vitia ſive boni ſpecie deceptus, ſive de induſtria imitatur: vel exemplo aliorum id conſectatur, cui par eſſe non poteſt.

Imitatio impiorum, eſt peccatum cùm quis aliorum peccata imitatur: prohibetur. Prov. 3, 31. Rom. 12, 2.

Tantum de laudabili æmulatione: ſequitur de fortitudine.

Fortitudo, eſt virtus per quam in omnibus rebus præſertim adverſis animum ſemper firmum, intrepidum & imperterritum retinemus. Pſal. 27, 14. *De fortitudine.*

Fortitudini opponitur audacia & timiditas, illa ut diſparatum, hæc ut adverſum.

Audacia, est vitium cùm quis pericula non necessaria subit.

Timiditas, est vitium cùm quis pericula necessaria refugit.

Fortitudo vel heroïca est, vel vulgaris.

Fortitudo heroïca, est singulare Dei donum præsertim in gubernatoribus, ut in Iosua, Simsone, Gideone, Davide, &c.

Fortitudo vulgaris, est quâ quivis possit esse præditus. Rursus fortitudo vel togata est vel bellica.

Fortitudo togata, est fortitudo quâ injurias quibus nos adversarii afficere conantur, auxilio legum depellimus.

Fortitudo bellica, est fortitudo cùm legum auxilio destituti, injuriam notoriam nobis imminentem externa vi propulsamus.

Præterea fortitudo vel æquanimitas est vel magnanimitas.

Æquanimitas, est fortitudo animi per quam eundem animum semper in omnibus rebus retinemus, ne vel rebus secundis extollamur, vel adversis frangamur.

Magnanimitas, est fortitudo excelsi animi per quam res arduas, difficiles, & periculi plenas aggredimur.

Magnanimitas exercetur tum in suscipiendis rebus magnis & arduis: tum in contemnendis periculis, difficultatibus, etiam morte ipsa. Item in defensione suæ innocentiæ adversus injustas accusationes & calumnias.

Cùm magnanimitate pugnat præsumptio & pusillanimitas.

Præsumptio, est animi elatio, cum quis majora suscipit, quàm vel sibi conveniant, vel efficere possit.

Pusillanimitas, est animi dejectio, cùm quis etiam legitimè vocatus recusat id suscipere cui viribus par est.

Hactenus de fortitudine: sequitur de temperantia.

De temperantia. TEMPERANTIA, est virtus per quam modum in rebus omnibus conservamus.

Temperantia vel continentia est, vel parsimonia.

Conti-

Continentia, eſt temperantia per quam ab illicitis voluptatibus corporis nos continemus. *De cõtinentia.*

Eſtque tum ſobrietas & vigilantia, tum caſtitas & pudicitia.

Sobrietas, eſt continentia à ſuperfluo cibo & potu. Cum ea pugnat, nimia emaciatio corporis & luxus. *De ſobrietate.*

Nimia emaciatio corporis, eſt vitium cùm quis nimiis jejuniis pertinaciter corporis valetudinẽ affligit.

Luxus, eſt vitium cùm quis corpus alimentis onerat ultra neceſſitatem cum bonę valetudinis læſione & detrimento.

Eſtque duplex, voracitas & ebrietas.

Voracitas, eſt vitium cùm quis corpus nimio cibo ſaginat & explet.

Ebrietas, eſt vitium cùm quis nimio potu ſe ingurgitat.

Vigilantia, eſt continentia à nimio vel intempeſtivo ſomno. Prov. 6, 6. & ſeq. & 24, 33.

Cum ea pugnant Monaſticæ vigiliæ & ſomnolentia.

Caſtitas, eſt continentia à vagis libidinibus & omni impuritate, tum in matrimonio, tum extra matrimonium. *De caſtitate.*

Cùm ea pugnat ſimulatio caſtitatis & ſcortatio.

Scortationis multæ ſunt ſpecies, fornicatio, adulterium, ſtuprum, inceſtus, raptus, mollities, ſodomia, beſtialitas.

Fornicatio, eſt ſcortatio cum perſona ſoluta corrupta ſeu meretrice.

Adulterium, eſt ſcortatio cum perſona conjugata.

Stuprum, eſt ſcortatio cum virgine.

Inceſtus, eſt ſcortatio cum conſanguinea vel affine.

Raptus, eſt ſcortatio cum puella violenter de domo patris rapta.

Mollities, eſt ſcortatio cùm quis per ſeipſum voluntariè polluitur.

Sodomia, eſt ſcortatio maſculi cum maſculo, fœminæ cum fœmina.

Beſtialitas, eſt ſcortatio hominis cum bruto.

PUDICITIA, eſt continentia non modò à delectationibus venereis, ut amplexibus, oſculis, canticis & *De pudicitia.*

colloquiis impudicis, sed etiam à cogitationibus, gestibus & signis libidinis, ut impudico oculorum obtutu, &c.
Cum ea pugnat simulatio pudicitiæ & impudicitia.

Hactenus de continentia: sequitur de parsimonia

De parsimonia Parsimonia, est moderatio sumptuum, ut tantùm honesti & necessarii fiant.
Cum ea pugnant sordes, & prodigalitas.
Sordes sunt, tam parcè opibus uti, ut nec vitæ generi suus honor deferatur, nec quicquam ferè ex facultatibus suis, nisi molestiam & durum laborem capere.
Prodigalitas, est vitium cùm quis opes suas non necessariis & immodicis sumptibus sensim dissipat & tandem perdit.

Hæc de temperantia: sequitur de studio veræ gloriæ.

Studium veræ gloriæ, est virtus per quam honestis artibus, hoc est, vera pietate & virtute, bonam famam apud alios nobis comparare nitimur. Gal. 6,4. φιλοδοξία.
Ab ea dissentit captatio vanæ gloriæ, vel ex hypocrisi vel ex sceleribus, vitiis, peccatis. Matt. 6,2. Gal. 5,26. & 6,3. & contemptus veræ gloriæ, qualis est in Epicuræis, qui vitam transeunt veluti pecora, quę natura, prona atque ventri obedientia finxit: quos pudet famæ, pietatis & virtutis.

Hucusque dictum est de virtute quæ ad nos ipsos refertur: sequitur de virtute erga alios.

Virtus erga alios, est quæ sese ad usum aliorum seu proximi nostri externis actionibus diffundit.
Proximus noster, est quivis homo, sive amicus sit, sive inimicus, sive dives sive pauper, sive domesticus sive extraneus: inprimis verò qui nostro auxilio eget. Luc. 10, 36,37.

Virtus

Virtus erga alios, est tum humanitas, civilitas, & frenatio inordinatorum motuũ animi: tum charitas Christiana & justitia.

Humanitas, est virtus cùm quis benevolentiam erga homines gestu & verbis convenientibus significat. *Humanitas.*

Cum ea pugnant levitas & inhumanitas.

Civilitas, est moderatio externorum morum & gestuum ut cum natura conveniant. Aliâs decorum speciale. *Civilitas.*

Civilitas pertinet ad virtutem erga alios, non enim potest exerceri nisi inter alios.

Ei conjuncta est gratiositas.

Gratiositas, est virtus cùm quis ita morum elegantiæ & comitati studet, ut aliis gratiosus sit.

Cum civilitate pugnat gesticulatio & rusticitas.

Civilitas est tum verecundia & gravitas: tum elegantia morum & mundities cultus.

Verecundia, est per quam in totius corporis motu ea fugimus, quæ nos dedecent. *Verecundia.*

Cum eâ pugnat impudentia.

Gravitas, est per quam quis decorum & convenientem dignitatem in totius vitæ ratione præ se fert. *Gravitas.*

Eáque est vel in sermone vel vestitu vel gestibus.

Gravitas in sermone est vel rectus linguæ usus vel taciturnitas.

Rectus usus linguę vel moderatio linguæ, est gravitas cùm lingua ita utimur, ut cùm opus est, opportunè & in loco id tantùm loquamur quod ad gloriam Dei & ædificationem proximi spectat. *Rectus usus linguæ.*

Idque vel in serio sermone, vel in jocoso.

Serius sermo est, cùm necessaria dicuntur quantum pertinet ad aliorum bonum.

Iocosus sermo est in urbanitate.

Urbanitas, est in salibus lepidis iocísque liberalibus modesta dexteritas: ἀστειότης.

Ejus disparatum est scurrilitas: adversum verò stupiditas.

Cum recto usu linguæ pugnat abusus linguæ, cùm quis suâ linguâ perversa loquitur, Proverb. 10, 31. hoc est, cùm quis suâ linguâ abutitur ad execrationes,

ad

ad imprecationes, ad blasphemias, ad mentiendum, ad disseminandum falsa dogmata, ad scurrilitatem & obscœnos sermones, ad calumniandum, ad seducendum, ad malè consulendum, &c. Perversa loqui, est subvertere veritatem, justitiam, bonos mores: decipere, blasphemare, detrahere, &c.

Taciturnitas, est gravitas cùm reprehensionem rectè judicantium incurrentia tacemus.

Estque vel honesta vel necessaria.

Taciturnitas honesta, est taciturnitas cùm à sermone abstinemus & tacemus quando nobis non convenit loqui.

Taciturnitas necessaria, est taciturnitas qua citra lęsionem conscientiæ arcana reticemus, ne in pernitiem alicujus divulgentur.

Gravitas investitu seu cultu, est per quam convenientem naturæ in amictu ornatum observamus.

Ei adversatur levitas in vestitu.

Gravitas gestuum, est per quam externos gestus totius corporis & singulorum membrorum ita moderamur, ut animus bene compositus inde eluceat.

Comitas. Comitas, est per quam nos faciles, affabiles & tractabiles præbemus, aliâs popularitas, affabilitas, facilitas. εὐπροσηγορία.

Eáque dictis & factis jucunditatem in congressibus & conversatione efficit.

Cum comitate pugnant, nimium studium placendi aliis, & morositas, δισκωλία.

Elegantia morum. Elegantia morum, est per quam moribus elegantibus studemus.

Mores elegantes, sunt qui cum consuetudinibus hominum, quibuscum vivimus, conveniunt.

Consuetudines illæ vel patriæ sunt vel peregrinæ: in quarum usu observandum decorum, ut nempe ibi usurpentur, ubi valent. Nam qui peregrinas consuetudines in patriam secum afferunt, illísque se ostentant, meritò sunt ridiculi.

Mundities cultus. Mundities cultus, est cùm in cultu seu vestitu mundos nos gerimus.

Hactenus

Hactenus de civilitate: sequitur de frenatione inordinatorum motuum animi.

Frenatio inordinatorum motuum animi vel superbiæ est, vel iræ, vel cupiditatis.

Frenatio superbię tum modestia est & summissio, tum docilitas.

Modestia, est superbiæ frenatio per quam convenienter de nobis ipsis sentimus, & alios non despicimus. Rom. 12,3. *Modestia.*

Cum ea pugnat βαυκοπανουργία & immodestia.

Βαυκοπανουργία, est simulatio modestiæ, cùm quis modestiæ laudem venatur negatione eorum, quæ tamen in animo sibi tribuit seu verè seu falsò, & recusatione eorum, quæ expetit & consequi clam conatur.

Summissio, est superbiæ frenatio per quam nos aliis, qui præstantioribus donis sunt ornati, inferiores gerimus. Matth. 18,3. *Summissio.*

Ei adversatur arrogantia.

Docilitas, est superbiæ frenatio per quam ita animũ regimus ne admiratione propriæ sapientiæ aliorum judicia contemnamus, sed ut alios placidè audiamus, & veris argumentis convicti cedamus. *Docilitas.*

Huic adversatur pertinacia in erroribus, & abundantia in proprio sensu & temeraria præsumptio sciendi, cùm quis se scire opinatur quod tamen nescit. Dici etiam possit, opinio scientiæ. De qua extant sententiæ: ἡ δόξα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν ἡ δόξα ἐστὶν ἐγκοπὴ τῆς προκοπῆς. Temeraria sciendi præsumptio præcludit discendi viam. Ecquis enim se doceri sinat, qui doctum se arbitretur? Multi possent ad summum eruditionis gradum pervenire, nisi se jam perveniſſe falsò sibi persuaderent.

Tantum de frenatione superbiæ: sequitur de frenatione iræ.

Frenatio iræ, est vel studium concordiæ & mansuetudo, vel longanimitas & placabilitas.

Studium concordiæ, est iræ frenatio per quam pacem

cem cum omnibus, quantum in nobis est, colimus.

Ejusdem virtutis est, causas & occasiones offensionũ, discordiarum, & odiorum vel inter nos vel inter alios, avertere.

Item de suo jure cedere.

Item sarcire concordiã inter dissidentes. Matt. 18,15.

Item non vindicare illatam injuriam. Matt. 18,15.

Cum studio concordiæ pugnat gratificatio injusta & turbulentia præbens seu arripiens occasiones turbarum.

Mansuetudo. Mansuetudo, est iræ frenatio per quam leniter & sine turbulentis motibus cum aliis agimus.

Cum ea pugnat indulgentia & iracundia.

Longanimitas. Longanimitas, est iræ frenatio per quam præposterum vindictæ studium cohibemus.

Cum ea pugnat lentitas & vindictæ cupiditas.

Placabilitas. Placabilitas, est iræ frenatio per quam faciles sumus ad condonandum injurias & mutuas offensas. Matth. 18,21.

Cum ea pugnant levitas & implacabilitas.

Hucusque de frenatione iræ: sequitur de frenatione cupiditatis.

Frenatio cupiditatis vel opum est vel honorum.

Frenatio cupiditatis opum dicitur αὐτάρκεια.

Αὐτάρκεια, est per quam contenti sumus præsentibus bonis justè acquisitis, ita ut etiam paupertatem placidè feramus.

Ei opponitur avaritia, simulatus contemptus divitiarum, μικροψυχία & fastidium rerum præsentium.

Frenatio cupiditatis honorum, est cùm præsenti statu ita contenti sumus, ne honores nobis non debitos affectemus.

Huic adversatur inconsiderata & temeraria affectatio honorum, regni, dominatus principatus.

Adhuc fuit de frenatione inordinatorum motuum animi: sequitur de charitate Christiana.

Charitas Christiana. Charitas Christiana, est virtus per quam amorem nostrum erga alios declaramus. Rom. 12,10.

Estque

Eſtque tum liberalitas & amicitia: tum ſympathia,& procuratio boni alterius.

Liberalitas, eſt charitas erga proximum per quam ipſi ſtudemus prodeſſe. Vel: Liberalitas, eſt per quam alienæ neceſſitati ſubſidio venimus. *Liberalitas.*

Verſatúrque tum in communicatione vel conſiliorum, vel opum: tum in præſtatione officiorum.

Liberalitas quæ verſatur in communicatione conſiliorum, eſt cùm dona noſtra & eruditionem ad aliorum utilitatem promptè impartimur.

Liberalitas quæ verſatur in communicatione opum eſt eleemoſyna vel munificentia.

Eleemoſyna, eſt liberalitas erga egentes qua per cõmiſerationem ſuppeditatis rebus neceſſariis ad eorum ſuſtentationem, eorum inopiam ſublevamus. Eſaiæ 58, 7,8,9,10. Pſal. 41,2. *Eleemoſyna.*

Munificentia, eſt liberalitas in dandis muneribus ſeu beneficiis. *Munificentia.*

Eáque vel mediocris eſt vel ſumptuoſa.

Munificentia mediocris, eſt per quam alicui inferioris fortunæ aliquid largimur.

Eáque quorumvis eſſe poteſt pro modulo facultatum.

Munificentia ſumptuoſa dicitur magnificentia.

Magnificentia, eſt munificentia ſumptuoſa tantùm magnatum. *Magnificentia.*

Ejus diſparatum eſt luxus.

Magnificentia vel publica eſt vel privata.

Publica, cùm ad publicos uſus ſumptus conferuntur. Iíque vel in res ſacras impenduntur, ut ſunt donaria ſeu legata ad alendos miniſtros Eccleſiæ, pauperes, ſtipendiarios ſtudioſos, &c. ad cõſervanda ædificia vel inſtauranda, ad conſtructiones templorum, ſcholarum, collegiorum, xenodochiorum.

Vel tribuuntur in uſus politicos: aut reipubl. conſervandæ, augendæ & condecorandæ causâ: ut ædificationem curiæ, horreorum, armamentarii, fori, molarum, murorum, propugnaculorum, item donaria ad alendos annuis ſumptibus pauperes, vel milites, vel alios qui reip. proſint.

Aut

Aut honestè recreandi & reficiendi populi gratiâ, ut epulæ publicæ, quales fuerunt Davidis. 2. Sam. 6, 19.

Talis magnificentia est laudabilis, si ad Dei gloriam referatur: secus monstrosa & execrabilis superbia fuerit, ut regis Ahasveri, Esther. 1.

Magnificentia privata, est quæ privatim erga aliquem exercetur.

Tantum de liberalitate in communicatione opum.

Liberalitas in præstatione officiorum potest appellari officiositas.

Officiositas. Officiositas seu officiosa voluntas, est quæ in officiorum delatione & præstatione elucet.

Officiositatis species sunt gratificatio & hospitalitas.

Gratificatio. Gratificatio seu studium gratificandi, est officiositas per quam gratificamur aliis nostrâ operâ egentibus, vel nostram operam implorantibus, ut cùm alicui sumus adjumento ad consequendum sanitatem. Marc. 7, 32. Matt. 9, 2. vel alias res necessarias.

Hospitalitas. Hospitalitas, est officiositas per quam peregrinos & advenas, ac præcipuè exulantes propter veritatis professionem, omnibus officiis hospitalibus complectimur.

Sic fuit de liberalitate: sequitur de amicitia.

Amicitia, est veram benevolentiam præstare erga alios, quam eos erga nos præstare vellemus.

Amicitia vel publica est, vel privata.

Amicitia publica est PAX.

Amicitia privata, est mutua inter bonos & vera benevolentia, mutuâ virtutis agnitione vel officiis honestis excitata, præstãs mutua officia honesta & possibilia.

Qualis fuit inter Ionatham & Davidem.

Eáq; etiam fraternitas Christiana dicitur: ad quam pertinet unitas spiritus, seu idem sentire, idem velle & nolle.

Cum hac pugnat adulatio & simultas seu inimicitiæ.

Hæc de amicitia: sequitur de sympathia mutua.

Sympathia mutua, est charitas per quam convenienter ob aliorum statum afficimur.

Estque tum erga vivos: tum erga mortuos.

Sympathia erga vivos est duplex: commiseratio vel congratulatio.

Commiseratio est per quam commovemur ad condolendum aliis ob ipsorum res adversas seu infelicem statum: aliâs compassio, ut Luc. 19. Christus cum fletu commiseratus est miserabilem interitum Iudæorum. Sic Paulus ait: Flete cum flentibus.

Hujus virtutis etiam est visitare orphanos & viduas in calamitatibus, eásque consolari.

Ei opponitur, ἐπιχαιρεκακία & ἀπάθεια.

Congratulatio, est per quam aliis congratulamur, de ipsorum rebus prosperis seu felicitate. De qua Paulus: Gaudete cum gaudentibus.

Sic est sympathia erga vivos: sequitur erga mortuos.

Sympathia erga mortuos, est tum luctus, tum sepeliendi cura 1. Sam. 28, 3.

Luctus, est quo mortem eorum, qui nobis chari in vita fuerunt, deploramus. 1. Thess. 4, 13. Act. 8, 2. 2. Sam. 3, 31, 32, 33.

Sepeliendi cura, est per quam mortuos honestè sepulturæ mandamus. 1. Thess. 4, 14.

Tantum de sympathia mutua: jam de procuratione boni aliorum.

Procuratio boni aliorum, est charitas erga proximum qua bonum ipsius pro viribus provehimus & promovemus. Proverb. 3, 29. Philip. 2, 4. Vel cùm commoda & utilitates ipsius quantum possumus, adjuvamus & augemus.

Eáque tum bonam famam proximi spectat, tum alia vitæ commoda. Exod. 23, 1.

Hactenus

Hactenus de charitate: sequitur de justitia.

De justitia. IUSTITIA, est virtus suum cuique ex debito tribuens.

Estque universalis vel particularis.

Iustitia universalis, est quam communiter universis debemus.

Eáque exercetur vel admonitione vel precatione pro aliis.

Iustitia particularis, est quam iis præstare debemus, quibus specialiter & peculiariter devincti sumus.

Estque vel privata vel publica.

Privata, quam quisque privatim præstare debet.

Idque vel in sua propria vocatione: vel in societate.

In sua propria vocatione est tum legitima officii adeptio & proprii officii cura: tum sedulitas & fidelitas.

Legitima officii adeptio, est cùm quis legitimis modis & mediis officium aliquod adipiscitur: non emit pecuniâ, ut Papæ papatum emunt.

Proprii officii cura, est cùm quis propriæ vocationis res agit, & se non ingerit in alienam vocationem.

Sedulitas vel diligentia, est per quam labores nostri officii pro viribus exequimur. 2. Thess. 3, 10. Rom. 12, 11. Prov. 12, 4, 5.

Vel cum sedulò & fideliter opus facimus, ut aliorum quoque egestati subvenire queamus.

Fidelitas, est per quam in officio nostro sincerè præstamus id, quod recepimus.

Hucusque de privata justitia in sua propria vocatione.

In societate præstari debet justitia vel distributiva vel commutativa.

Iustitia distributiva. Iustitia distributiva, est per quam unicuique consentanea pro conditione, statu & dignitate cujusque præstamus. Rom. 13, 7. Cui honorem, honorem: cui tributum, tributum. Rom. 12, 10.

Eáque vel œconomica est vel politica.

Iustitia

Iuſtitia œconomica, eſt quæ in ſocietate domeſtica, ſeu in officiorum œconomicorum præſtatione exercerí debet.

Hæc ſita eſt in ſanctitate conjugii & diſpenſatione rei familiaris.

CONIUGIUM, eſt legitima unius maris & unius fœminæ conjunctio ad ſobolem procreandam. *De conjugio.*

Conjugii ſanctitas conſiſtit tum in legitima conjugũ deſponſatione, tum in officiis conjugii.

Deſponſatio, eſt firma certáque conjugii inter duos promiſſio, adhibitis idoneis teſtibus. A hâs ſponſalia. *De ſponſalibus.*

Idonei teſtes, ſunt qui teſtari poſſunt ea quæ in deſponſatione requiruntur.

Ea autem ſunt conſenſus & ut perſonæ ſint idoneæ.

Conſenſus eſt tum ſponſi & ſponſæ: tum parentum ſeu eorum qui parentum vicem gerunt. *Conſenſus in conjugio.*

Conſenſus ſponſi & ſponſæ ſit expreſſus: quia conjugia mutuo conſenſu junguntur.

Conſenſus fit vel cum conditione vel ſine conditione.

Si conſenſus fit cum conditione, nominantur ſponſalia de futuro.

In quibus ſi conditio honeſta & pertinens ad conjugium, adjecta in principio contractus, non fuerit impleta, diſſolvitur contractus.

Quales ſunt hæ conditiones: ſi parentes conſenſerint: ſi dos mihi dabitur conveniens.

Sed cùm ſequitur concubitus, non expectata conditionis impletione, ea conjunctio judicatur eſſe conjugium: quia perſonæ convenientes à conditione diſceſſerunt.

Sin autem conditio eſt peregrina, id eſt, nihil pertinens ad conjugium: vel turpis, vel impoſſibilis, à judice rejicitur, tanquam non eſſet addita, nec propter eam diſſolvitur contractus, etiamſi non ſit impleta: ut ſophiſtica & petulantia in decipiendo miſero & imbecilli ſexu prohibeatur.

Si conſenſus ſit ſine conditione, vocantur ſponſalia de præſenti, in quibus per verbum præſentis temporis ſeu categoricè promittitur conjugium: éſtque jam verum initium conjugii præſentis.

A consensu autem sponsi & sponsæ absint tum error, tum coactio.

Error in conjugio.

Error vel personæ est vel fortunæ.

Error personæ, est cùm dolus intervenit de homine: sicut Iacobo tradita est Lea pro Rachele.

Propter hunc errorem personæ, possunt dissolvi sponsalia & conjugium. Poterat igitur Iacobus repudiare Leam: sed non est usus summo jure.

Error fortunæ, est cùm altera persona de alterius statu ignoravit.

Error fortunæ duplex est, vel ad statum rei familiaris pertinens, vel ad statum castitatis alterius personæ.

Error fortunæ ad statum rei familiaris pertinens, est si qua putet sponsum esse divitem aut nobilem, aut non habere liberos.

Propter talem errorem fortunæ non dissolvantur sponsalia aut conjugium: quia talis error nihil ad substantialia conjugii pertinet.

Error fortunę ad statum castitatis alterius personæ pertinens, est si quis ignorans ducit ab alio compressam aut gravidam ex alio.

In tali errore alia est sententia Mosis: alia usitati juris.

Mosis sententia est in Deuteronomio cap. 22. quę jubet lapidibus obrui compressam ab alio, quæ postea tãquam virgo nupsit alteri, si fuerit accusata & vir petit divortium.

Usitati juris processus duplex est: alius ante concubitum, alius post concubitum.

Ante concubitum factum hic processus est tenendus.

Primùm tentanda est reconciliatio, ut is qui errore duxit compressã ab alio, retineat eam, præsertim si est modesta & castè deinceps sit victura. Quia etiam divortia sæpe magnę calamitates sequuntur, quarum habenda est ratio à judice & ab actore.

Si autem reconciliatio non procedit, fiat divortium.

Præstat enim exemplum Legis Mosaicæ imitari, quàm alias rationes. Etsi enim Leges forenses Mosis non pertinent ad nostras politias: tamen in eis conspicitur, quid Deus approbet. Deinde exemplum Legis

Mosaicæ plus munit conscientias, quàm alia argumenta: quia ex testimonio Legis divinæ certi sunt judices, se non facere contra voluntatem Dei.

At post concubitum pronuntiatur, ut sponsus seu maritus retineat antè compressam à se vel ab alio, sive sciens, sive inscius talem duxerit.

Idque in recentibus constitutionibus sancitum est propter tres causas.

Prima est, ne armetur levitas eorum, qui libenter vxores, qualicunque prætextu abjiciunt, quoquomodo voluntate mutata.

Secunda est, ne propter suspiciones aut offensiones qualescunque in periculum veniant innocentes.

Tertia est, ne patefiant arcana delicta, quæ tegi multò honestius & utilius est, juxta illud: Omnia delicta tegit dilectio.

Sic dictum est de errore, qui à consensu sponsi & sponsæ abesse debet: sequitur de coactione.

Coactio etiam debet abesse: non enim est consensus, nec conjugium, cùm persona vi cogitur ut conjugium promittat. Et in hac re accidunt multa tristia errata.

Consensu sponsi & sponsæ explicato: sequitur de consensu aliorum quorum interest.

Consensus aliorum quorum interest, vel parentum est vel eorum qui parentum vicem gerunt.

Consensus parentum requiritur de necessitate: & desponsationes judicantur irritæ refragantibus parentibus ante commixtionem seu concubitum: quia non est violanda autoritas parentum. *Consensus parentum.*

Verum ad judicum officium pertinet considerare, ubi parentes probabilem causam habeant refragandi, ubi non sit probabilis causa.

At post concubitum non potest conjugium autoritate parentum rescindi, quia non est jam quæstio de futuro conjugio: & fieret injuria desertæ mulieri.

Consensus eorum qui parentum vicem gerunt velut tutorum, non requiritur de necessitate, sed saltem de honestate.

Tantum de consensu qui ad coniugium requiritur: sequitur quæ personæ sint idoneæ.

Ut personæ sint idoneæ, duo requiruntur: primum ut ob ætatem & dona ad œconomiam necessaria maturæ sint. 1, Cor. 7, 36, 40. Prov. 31, 10, 11.

Ætas justa requiritur, ut quæ non solùm consentire pacto possit, sed etiam ad rei familiaris administrationem sit apta.

Desponsatio impuberum. Desponsatio igitur impuberum facta à parentibus vel tutoribus, non est initium veri conjugii: potéstque dissolvi cùm deinde voluntas puberum non accedit. Nec cogenda est persona repugnans, quæ se non obligavit ipsa postea, cùm ætas jam matura esse conjugio & suo judicio statuere posset.

Secundum ut possint conjungi vel ex potentia procreandæ sobolis vel ex lege naturæ.

Ex potentia procreandæ prolis possunt conjungi, qui non sunt inepti ad commixtionem conjugalem: nempe qui non sunt spadones, vel quibus natura non est læsa fascino aut veneficio.

Spadones. Spadones, sunt qui prorsus non sunt idonei ad commixtionem conjugalem, sive naturâ tales sint, sive arte castrati sint.

Tales personæ nequaquam fiunt conjuges, ideo etiam nuptiis celebratis, cum triennii spacio explorata est spadonis frigiditas, aut toto triennio frustrà tentata est naturæ læsæ medicatio, judex pronunciare potest, illas personas liberas esse: Nec fit tunc divortium, quia non erat conjugium: & personæ quæ habet naturæ vires integras potest concedi alia felicior copulatio legitima.

Tantum de ijs qui ex potentiâ procreandæ prolis possunt coniungi.

Ex lege naturæ possunt contrahere matrimonium, qui non sunt propinqui carne. Levit. 8, 9. & seq.

Hi enim conjungi ſemper prohibentur, niſi cùm mera neceſſitate urgentur, deficientibus nempe perſonis, quę non ſint propinquę carne, ut in prima & ſecunda populorum origine: illa ſub Adamo, hæc ſub Noa.

Propinqui carne.

Propinqui carne, ſunt ii qui carnem attingunt. Levit. 18,6. & 25,49.

Propinquitas igitur eſt contactus carnis.

Propinqui carne vel cognati ſunt vel affines: unde duplex quoque propinquitas carnis, cognatio vel affinitas.

Cognati.

Cognati, ſunt propinqui ex communi parente, patre vel matre, Levit. 18,12. vel cognati, ſunt propinqui ab eodem orti & propagati.

Conſanguinei.

Unde etiam conſanguinei dicuntur, quia ſanguinis & naturæ ſocietate propiùs juncti ſunt.

Cognatio ſeu cõſanguinitas.

Cognatio igitur ſeu conſanguinitas, eſt propinquitas perſonarum, quæ propterea quòd ab eâdem ſtirpe ortæ ſunt, ſanguinis & naturæ ſocietate propiùs jnnctæ ſunt.

Stirps.

Stirps, eſt perſona à qua aliæ ſunt derivatæ.

Diſcernuntur autem cognati ſeu conſanguinei linea & gradu.

Linea cognationis.

Linea, eſt ſeries cognatorum ab una ſtirpe deducta. Eſtque vel recta vel collateralis.

Linea recta vel aſcendentium eſt vel deſcendentium.

Aſcendentes ſunt primò pater & mater: ſecundò, avus tum paternus, tum maternus, avia tum paterna, tum materna: tertiò, atavus, atavia: quartò, tritavus, tritavia: & quicunque majores.

Deſcendentes, ſunt primò, filius, filia: ſecundò nepos, neptis: tertiò, pronepos, proneptis: quartò, abnepos, abneptis: quintò, trinepos, trineptis, & liberi quicunque.

Collateralis vel tranſverſa linea duplex eſt: æqualis vel inæqualis.

Æqualis, eſt quâ cognati æqualiter à communi ſtirpe diſtant.

Inæqualis, eſt quâ cognati inæqualiter à communi ſtirpe diſtant.

Cognati in linea inæquali vel ſuperiores ſunt vel inferiores.

Et utrique vel paterna origine vel materna.

Superiores, ſunt primò, patruus, amita, avunculus, matertera: ſecundò, patruus magnus, amita magna: avunculus magnus, matertera magna: tertia propatruus, proamita: proavunculus, promatertera: quartò, patruus maximus, amita maxima: avunculus maximus, matertera maxima.

Inferiores, ſunt horum filii ad ſuperiores relati.

Tantum de linea: ſequitur de gradu.

Gradus, eſt diſtantia perſonarum.

Idque vel à ſtirpe, vel inter ſe ſub ſtirpe.

At in unaquaque perſona à ſtirpe numeratur,

Genealogia. Quæ numeratio Genealogia dicitur. Eſt enim Genealogia, ſeries generationis ordine enumerata, Ea quo ita enumeratur ut poſita ſtirpe, à qua inchoanda eſt graduum ſupputatio, ſupra eam ſtirpem collocentur majores ejus, infra ſubjiciantur filii & nepotes: in lateribus addantur fratres & ſorores.

Exemplum.

Thare.

Aram — ABRAHAM. — Nachor.

Iſaac.

Iacob.

Ioſeph.

Genealogiæ cognitio eſt neceſſaria, ut intelligatur tum ſupputatio graduum, tum prohibitio conjugii.

De ſupputatione graduum. Supputatio graduũ requiritur, ut ſciatur quot gradib. perſonæ, de quarum conſanguinitate queritur, diſtent.

Cúmque linea duplex ſit, recta vel collateralis, ideo graduum ſupputatio pro linearum differentia duplex quoque eſt: altera in recta linea, altera in collaterali.

In

In recta linea quot sunt personæ, tot sunt gradus, demta stirpe à qua inchoanda est supputatio: ut Ioseph distat tertio gradu ab Abraham, Iacob secundo, Isaac primo.

Itaque filius primum gradum constituit, nepos secundum, pronepos tertium, abnepos quartum, &c.

In collaterali linea, cùm ea duplex sit æqualis vel inæqualis, duplex etiam est supputationis ratio: altera in linea æquali, alter in linea inæquali.

In linea æquali quot gradibus distat altera persona à communi stirpe, tot gradibus inter se distant.

Ergo duo fratres seu fratres & soror, juncti sunt sibi consanguinitate in primo gradu. ut Iacob primo gradu junctus est Esauo.

Sic idem secundo gradu junctus est Racheli & Liæ.

BATHUEL.

Rebecca	Laban
Iacob	Rachel & Lea.

IEPHUNNE.

Caleb	Cenas
Axa	Othoniel.

Othoniel ergo Axæ junctus est secundo gradu.

In linea inæquali, quot gradibus remotior distat à stirpe, tot gradibus inter se distant.

THARE.

Abraham	Aram
	Sara

Sara distat duobus gradibus à stirpe: ergo & ab Abrahamo distat totidem gradibus. Iunctáque est ipsi secundo gradu.

THARE.

Abraham	Nachor.
Isaac	Bathuel.
	Rebecca.

Rebecca distat tertio gradu à stirpe: ideo & ab Isaaco distat tertio gradu, quo et etiam juncta est.

Exposita supputatione graduum: sequitur prohibitio coniugij secundum gradus.

De prohibitione coniugii.

Prohibitio conjugii, è lineę duplici differentia, duplex quoque est: altera in recta linea, altera in collaterali.

In linea recta omnes tum ascendentes tum descendentes prohibentur à mutuis connubijs, ut naturæ ordine, ita ob sanguinis reverentiam. Lev. 18, 7.

Quare si Adam hodie superstes esset, non posset ducere uxorem.

In linea collaterali prohibitio quoque duplex est, altera in linea æquali, altera in linea inæquali.

In linea æquali, quanquam jure divino concessum erat conjugium in secundo gradu: ideóque fratrum filiis & filiabus licuit inter se contrahere: tamen nunc jure humano prohibitę sunt intra quartum gradum: ut majore reverentiâ divinæ prohibitiones observentur.

Iacobus duxit consobrinam suam Rachelem, cui junctus erat gradu secundo.

Othoniel duxit Axam, cui etiam secundo gradu junctus erat.

Non valent autem dispensationes, quæ concedunt commixtionem in gradibus prohibitis in textu Levitici cap. 18. Nam leges in Levitico quæ prohibent certarum personarum commixtionem, sunt leges naturæ, & obligant omnes gentes. Nam Deus propter incestas libidines punit etiam gentes, quæ sunt extra politiam Mosis, & quæ fuerunt ante Mosen: sicut textus in Levitico expressè dicit, Ægyptios & Cananæos puniri propter incestas libidines. Ita Paulus punit Corinthium, qui attigerat novercam.

In linea inæquali prohibita sunt conjugia jure divino in secundo gradu: quia universaliter majorem reverentiam Deus tribui vult superiori gradui, quàm æquali: propterea quòd hi in linea inæquali parentum & liberorum vicem gerunt. 1. Tim. 5, 4.

Frater igitur non debet ducere sororem, nec nepos ami-

amitam aut matertteram, nec neptis nubere debet patruo aut avunculo.

Hucusque dictum est de cognatis seu consanguineis: sequitur de affinibus.

Affines, sunt propinqui, alterius conjugis propter personæ sibi consanguineæ cum illo contractum conjugium: ut David alienus est à Ionatha, sed quia duxit uxorem sororem Ionathæ, jam fit affinis Ionathæ. *De affinibus & affinitate.*

Affinitas igitur, est propinquitas personarum, quam conjugium efficit inter unum conjugem & alterius conjugis consanguineos.

Quot gradibus quispiam est mihi consanguineus, tot gradibus uxor ejus mihi est affinis: ut duo fratres sunt juncti primo gradu consanguinitatis: ergo fratris mei uxor est mihi juncta primo gradu affinitatis.

Prohibitio conjugii in primo gradu affinitatis est juris naturæ. Incestum igitur commisit Herodes ducta Herodiade Philippi fratris uxore, quia Herodias Herodi fuit juncta primo gradu affinitatis.

Herodes.

Herodes ——— Philippus, cujus uxor Herodias.

Sic peccavit etiam Ruben, quia violavit thorum patris Iacobi.

Iacob.

Ruben ——— Novercæ Balæ.

Ergo Ruben attigit novercam primo gradu affinitatis.

Non late extenditur affinitas: nam consanguinei mei non sunt affines consanguineis uxoris meæ. Ego à consanguinea uxoris meæ abstinere debeo: & mei consanguinei debent abstinere à mea uxore, non à consanguineis meæ uxoris. Quare duo fratres cum duab. sororibus *Affinitatis terminus.*

contrahere

contrahere possunt: non enim impediuntur affinitate. Pater & filius cum matre & filia contrahere possunt.

Sic dictum est de desponsatione quæ conjugium præire debet: sequitur de officijs conjugij.

Conjugii officia versantur in justitia conjugali & educatione liberorum.

Horum officiorum commune vinculum est στοργή.

στοργή. Στοργὴ, est naturalis amor cognati sanguinis.

Justitia conjugalis vel communis est utriusque conjugis, vel alterius propria.

Officium commune utrique conjugum. Communis utriusque conjugis est. 1. ut ambo conjugalem amorem integrum & impollutum, conservent.

2. Ut consuetudine familiari cohabitent, & affabiliter unà vivant, ne vita eorum sit cum tristitia, aut extranea solatia quærere cogantur, unde infamiam facilè possint incurrere.

3. Ut se mutuò diligant sine zelotypiâ, ne sibi continuam cordis anxietatem pariant, & mutuò incitamentum non servandi fidem præstent.

Zelotypia. Zelotypia, est in conjugibus adulterii suspicio.

Si secus fiat, conjuges damna multa experimento addiscunt: ita ut vel turbulentum & tristè sit matrimonium, vel divortium subsequatur.

De divortio. Divortium, est legitima conjugii solutio.

Causæ divortii duæ sunt tantùm: una adulterium. Matt. 5, 32. & 19, 9.

Altera desertio, id est, malitiosa alterius conjugis discessio, nullâ justâ causâ, sed vel levitate, vel injustâ impatientiâ freni conjugalis, vel aliis non necessariis causis. 1. Cor. 7, 15.

Cæterum in divortio observari debet tum modus procedendi, tum tempus post quod persona innocenti possit concedi aliud conjugium.

Processus in divortio, ob adulterium. Modus procedendi complectitur tum legitimam cognitionem judicum, tum tentationem reconciliationis, vel pronunciationem sententiæ.

Modus

Modus igitur procedendi in casu adulterii ita institui debet, ut auditis partibus sufficienter confirmetur & probetur accusatio, ita ut persona rea convicta sit.

Si persona quæ deliquit, rea peracta sit, & persona innocens petat fieri divortium, debet primùm judex tentare utrinque & adhortari ut redeant in mutuam gratiam.

Si non procedit reconciliatio, pars innocens non potest cogi, ut recipiat ream.

Sed si persona accusans honestè vixit & petit ferri sententiam, pronuncietur hoc modo: Cùm persona quę deliquit, suo scelere dissolverit conjugium, judex autoritate Euangelii personam innocentem pronuntiat esse liberam, & expressè ei concedit, ut pro sua conscientia piè contrahat aliud conjugium.

Persona verò condemnata debet puniri à Magistratu politico, cujus est adulteria punire, vel exilio ut pellatur ex iis locis, ubi vivit persona innocens, cui altera videlicet condemnata, velut mortua existimanda est, vel aliâ pœnâ quam Magistratus convenientem judicaverit.

Sic debet institui modus procedendi in casu adulterij: sequitur modus procedendi in casu desertionis.

Processus in divortio ob desertionem.

In casu desertionis processus ita institui debet, ut auditâ petitione personæ accusantis, primùm legitima cognitio fiat. Ea in hoc consistit, ut exploretur, an persona verè deserta sit, ne levitati aut perfidiæ, desertionis umbra prætexatur.

Non est enim desertor, qui abest vel officii causâ, vt legatus aut miles legitimâ autoritate ad militandum delectus: vel voluntate conjugis, ut si abest alibi in mercatu, aut alio honesto negotio: vel in captivitate detinetur: vel deportatus est, si nempe casus in quem maritus incidit, non mutat uxoris affectum, id est, si non est tale scelus quo alioquin conjugium dissolveretur. Deinde postquam cognitum est personam verè desertam esse, vocetur persona desertrix in judicium legitimâ

legitimâ citatione in publico loco facta & affixa ut intra constitutum certum terminum compareat.

Si finito termino persona desertrix non comparet, audiantur testimonia de personæ innocentis integritate, & pronuncietur libera.

Hactenus dictum est de modo procedendi in divortio: jam dicendum est de tempore post quod personæ innocenti possit aliud conjugium concedi.

De tempore concedendi conjugii facto divortio.

Temporis, post quod aliud conceditur conjugium personæ innocenti, duplex est consideratio: alia in casu adulterii, alia in casu desertionis.

In casu adulterii non præscribitur tempus innocenti personæ, postquam res est judicata.

In casu desertionis conceditur conjugium, si certò constet personam desertricem vel mortuam esse, vel hîc aut alibi adulterio commisso conjugium dissolvisse, vel cognita citatione comparere noluisse.

Aliâs persona deserta debet expectare: fit enim ut post novennium demum interdum maritus redeat, præsertim si bello captus in Turcia vel alibi ab hostibus in captivitate detentus fuit.

Hactenus fuit de justitia conjugum communi: sequitur de propria.

Justitia alterius conjugis propria peculiariter vel ad mariti officium pertinet, vel ad uxoris.

Officium mariti.

Mariti officium est, 1. tueri uxorem. Col. 3, 19.

2. Uxorem decenter tractare in ornamentis & aliis necessariis. Non enim sicut ancilla, sed ut socia tractanda est: quia non de pedibus, sed de latere viri formata est.

3. Leniter, si opus est, corrigere, & admonere, non iracundè & aspere, ne exacerbetur.

Officium uxoris.

Uxoris officium, est 1. marito subjectam esse. Ephes. 5, 22. Coloss. 3, 18. 1. Pet. 3, 1.

2. Castam & pudicam, verecundam & taciturnam, piam & discretam esse.

3 Domi

3. Domi ſe continere ad familiam regendam, non divagari.

Hactenus de juſtitia conjugali: ſequitur de educatione liberorum.

Educatio liberorum officia parentum & liberorum complectitur.

Parentum officium, eſt 1. liberos ſuſtentare victu & amictu. 1. Tim. 5, 8. *Officium parentum.*

2. Liberos educare in doctrina & diſciplina Domini Epheſ. 6, 4. Col. 3, 21.

3. Moderatè patriâ poteſtate uti, ne liberos exacerbent & ad iram provocent. Eph. 6, 4.

Liberorum officium, eſt tum honorare parentes, Eph. 6, 1. Col. 3, 20. tum inter ſe concordes eſſe. Pſal. 133, 1. & ſe mutuò juvare. *Officium liberorum.*

Honor erga parentes comprehendit reverentiam, obedientiam & beneficentiam erga parentes, Levit. 19, 3. Matth. 15, 1. Marc. 7, 11, 12. Chriſtus oſtendit è quinto mandato Decalogi, ut liberi parentibus benefaciant.

Beneficentiæ erga parentes & propinquos Ioſephus exemplum ſingulare eſt, qui non ſolùm patrem, ſed & fratres, à quibus acerbè & immaniter tractatus, venditúſq; eſſet, totáſq; eorum familias graviſſima fame laborantes in Ægyptum tranſtulit, & liberaliter aluit.

Hactenus de ſanctitate coniugii: ſequitur de diſpenſatione rei familiaris.

Diſpenſatio rei familiaris verſatur in officio tum Dominorum, tum ſervorum.

Officium Dominorum, eſt 1. moderatè uti ſuo in ſervos imperio. Eph. 6, 9. *Officium Dominorum.*

Id fit dupliciter: primò, ſi domini ſervos non gravent nimis laboribus, ſempérque meminerint, eos non aſinos eſſe, ſed homines. Deinde, ſi illis placidè imperent, placidè etiam cùm officium neglexerunt, objurgent, ne verbis durioribus exaſperentur; meminerintq; ſibi etiam eſſe Dominum in cœlis, apud quem non eſt perſonarum reſpectus. Eph. 6, 9.

2. Re-

2. Remunerari benefícè labores ſervorum, ut ne compulſi neceſſitate furentur.

Officium ſervorum.

Officium ſervorum, eſt 1. ex animo imperatos à Dominis labores perficere. Eph. 6, 5, 6.

2. Eſſe fideles in commiſſis ſibi à dominis, ut bona eorum conſervent.

3. Morum integritatem cuſtodire, ne uxor, ne filii & filiæ vel alii conſervi corrumpantur.

Iuſtitia œconomica declarata eſt: ſequitur politica.

Iuſtitia diſtributiva politica, eſt quæ in ſocietate politica præſtari debet.

Eáque vel quibuſvis debetur, vel certis.

Quibuſvis debetur veracitas, ſinceritas, fides, candor, & obſervantia.

Veracitas. Veracitas, eſt per quam conſtanter amamus & amplectimur veras ſententias, dicimus vera, & in ſermone & geſtibus inſidioſas occultationes vitamus.

Cum ea pugnat mendacium & occultatio veritatis inſidioſa.

Sinceritas. Sinceritas, eſt cùm lingua & geſtus cordi conſonant.

Cum hac pugnat fucus ſeu ſimulatio.

Fides. Fides, eſt per quam promiſſa & pacta ſervamus.

Cum hac pugnat dolus & violatio fidei.

Candor. Candor, eſt per quem juſtè de aliis judicantes debitam eis laudem quam merentur tribuimus.

Ejuſdem virtutis eſt interpretari omnia in bonam partem, proximo non detrahere, & detrahentibus aures non præbere.

Cum candore pugnant, calumnia ſeu obtrectatio, ſtulta credulitas, ſuſpicacitas & diffidentia.

Calumnia. Calumnia, eſt malitioſa interpretatio alicujus rei in deteriorem partem.

Obſervantia. Obſervantia, eſt per quam homines nobis ſuperiores ætate, ſtatu vel donis debito honore externo proſequimur & colimus. Rom. 12.

Idque vel cedendo eis ſermonis, ſedis, actioniſq; omnis primatu: vel geſtibus pro circumſtantiis idoneis.

Hactenus

Hactenus justitia distributiva politica, quæ erga quosvis exerceri debet: sequitur quæ debet exerceri erga certos.

Iustitia distributiva politica, quæ debet exerceri erga certos, duplex est: gratitudo & subjectio.

Gratitudo, est virtus per quam nos gratos erga benefactores declaramus.

Eáque est vel animi vel facti.

Gratitudo animi, est qua benefactori pro beneficiis datis gratiam habemus. *Gratitudo.*

Eáque declaratur tum gratias agendo pro datis beneficiis, conservando eorum memoriam, eáque apud alios celebrando, & bene precando piis votis pro successu bene de nobis meritorum: tum gerendo animum ad compensationem promtissimum.

Gratitudo facti, est cùm beneficia nobis exhibita compensamus ipso facto, hoc est, donis & officiis.

Cum gratitudine pugnat ingratitudo & gratificatio pro beneficiis injusta & illicita.

Hæc de gratitudine: jam de subjectione.

Subjectio, est justitia distributiva quæ Magistratui politico debetur à subditis.

Eáque consistit in obedientia erga leges & publicorum onerum portatione. Rom. 13. 1. Mat. 17, 27. & 22, 21. 1. Pet. 2, 13.

Cum ea pugnat seditio, contumacia, simulatio subjectionis & impia servitus, præsertim in idololatricis & injustis rebus.

Hactenus de justitia distributiva: de commutativa sequitur.

Iustitia commutativa, est per quam æquitatem in commerciis & contractibus servamus ex pacto: vel, est per quam cum proximo in contractibus sic agimus, ut pobiscum agi cupiemus. *Iustitia commutativa.*

Hactenus dictum est de justitia privata: restat de publica.

Iustitia publica. Iustitia publica, est quam publicus Magistratus ad communem subditorum statum incolumem conservandum exercere debet. 1. Tim. 2, 2.

Magistratus. Magistratus, est persona publica potestatem in subjectos legitimè gerens. Rom. 13, 1. Vel cui pro potestate jubere datum est.

Iustitia publica togata est vel bellica.

Iustitia togata. Iustitia togata, est per quam subditorum commoda tempore pacis rectè administrantur.

Conspicitúrque in legum promulgatione & executione.

Legum promulgatio. Legum promulgatio felicitatem subditorum spectare debet.

Ea felicitas non tantùm sita est in negotiis ad hanc vitam pertinentibus, sed etiam vel maximè in hoc, ut primo loco verus Dei cultus vigeat, à quo uno vera omnis felicitas promanat. Deut. 17, 18. 2. Sam. 6. 1. Reg. 2, 27. & 11, 11. Psal. 75, 11.

Executio legum. Executio legum, est earum in effectum productio ad conservationem publicæ disciplinæ. Rom. 13, 3.

Estque duplex, defensio subditorum & coercitio malorum.

Defensionis subditorum duę sunt partes: Procuratio & conservatio boni status subditorum & præsidium eorum qui justam habent causam adversus iniquitatem aliorum.

Coercitio malorum, est altera executionis legum pars, quâ pœnæ sontibus irrogantur.

In pœnis adhibetur vel nemesis vel clementia.

Nemesis. *Nemesis*, est qua secundùm jus strictũ seu rigidam legum severitatem sine mitigatione pœna delicto legitimo modo dicta sontibus dolosis irrogatur. Psalm. 102, 1, 5, 8.

Cum nemesi pugnat impunitas, & tyrannis seu sævitia seu crudelitas & rigor nimius.

Clementia. *Clementia*, est qua justis & sufficientibus de causis,

sontibus

ſontibus pœna vel remittitur, vel mitigatur. Græcis eſt ἄφεσις. Pſal.102,1.

Cum clementia pugnat mollities ſeu lentitas, quæ legum vincula non modò relaxat, ſed etiam diſſolvit: & crudelitas.

In executione legum elucere debet ἀπροσωπολημψία, quæ eſt incorrupta legum ſine perſonarum acceptatione executio, Pſal.82.1.2.Paral.19.Deuter.1,16.& 16,18. Proverb.24,23. Ἀπροσωπολημψία.

Cum ea pugnat προσωπολημψία, id eſt, perſonarum acceptatio, quæ eſt tribuere juſta injuſtis, vel præmia non meritis. Προσωπολημψία.

Sic fuit de juſtitia magiſtratus togata: reliquum eſt de bellica.

Iuſtitia bellica, eſt belli cum æquitate adminiſtratio. Luc.3,14. *Iuſtitia bellica.*

BELLUM, eſt neceſſaria adverſus publicam vim defenſio, vel pœna juſta propter atroces injurias, quæ manu armatâ ab ordinariâ poteſtate ſuſcipitur. Iud.8,19. & 20.capite toto. *Bellum.*

Iuſtitiæ bellicæ duæ ſunt partes, ſuſceptio belli tantùm juſtam ob cauſam, & conſervatio diſciplinæ militaris.

FINIS SECVNDI LIBRI
PARTITIONUM
Theologicarum.

SOLI DEO SIT GLORIA.

LECTORI CANDIDO S.

Si quid, candide Lector, in his Partitionibus Theologicis tibi non satisfecerit: scito me, quantum hoc tempore DOMINUS ex gratiâ suâ dedit, præstitisse: & tibi quoq; quod mecum cogitares & investigares, subministrasse. His interea mecum fruere ad nominis divini sanctificationem.

Vale.

TABULÆ PERPETUÆ, QUIBUS COHÆRENTIA PARTITIONUM clarè depingitur, & ſub oculos ponitur.



A. Attributa

A.
Attributa Dei sunt vel
Simplicia, quorum
Quædam sui creatam similitudinem admittunt: qualia sunt beatitudo, immortalitas, intelligentia, &c.
Quædam non: qualia sunt æternitas, infinitas, omnipotentia, omniscientia.
Comparata. Eorum sumuntur
Quædam ab homine, quæ tribuuntur Deo per anthropopathiam, nempe vel
Partes, ut anima.
Membra corporis, ut caput, oculus, manus, &c.
Sensus
Interni, ut memoria.
Externi, ut visus, auditus, odoratus.
Affectus, ut amor, odium, ira, &c.
Adjuncta, ut sedere in throno, videre.
Quædam ab aliis creaturis, ut ala, membra, turris, rupes, &c.

B. Opera


Generale.
Decretum electionis.
Speciale, quod ad salutem, vel exitium hominis pertinens dicitur prædestinationis decretum, quod duplex est:
Decretum reprobationis.
Decretū Dei, idque vel
Ad imaginem Dei, Vide C.
Creatio, qua producta sunt creaturæ quædam
Non.
B.
Opera Dei sunt duo:
In hanc vitam cadens: cujus opera sunt
Naturale.
Bonum
Providentia, quâ gubernatur tum
Morale.
Culpæ, quod est peccatum, Vide E.
Malum
Pœnæ.
Executio decreti Dei, eâq; vel
Post hanc vitam, vide X.

C. Imaginis

PARTIT. I. PARTIS



TABULÆ.


D. Hominis considerari debet tum
Status, qui est vel
Ante lapsum, integer.
Post lapsum, qui est vel
Corruptus.
Instauratus, isque est vel
Inchoatus.
Perfectus.
Arbitrium, quod aliter consideratur
Ante lapsum.
Post lapsum, bifariam:
1. Ut est in hac vita, aliud
In renatis partim ad
Bonum.
Malum.
In non renatis, tantùm ad malum.
2. Ut erit in futura vita, aliud
Beatorum, tantùm ad bonum.
Damnatorum, tantùm ad malum.


E. Peccatum est vel
Diabolorum, idq; tum
Lapsus eorum.
Malitia lapsum secuta.
Hominum, idque vel
Primorum parentum, quod est tũ
Lapsus, qui evenit tum
Sponte.
Providentiâ divina.
Corruptio lapsum secuta.
Posterorum, idque est vel
Originale, cujus partes sunt
Reatus originalis.
Pravitas originalis tum in
Anima.
Corpore.
Actuale, quod est
1.
Internum.
Externum
Occultum.
Manifestum, dicitur scandalum,
Datum.
Acceptum.
2.
Regnans.
Non regnans.
3.
Contra conscientiam.
Non contra conscientiam.
4.
Remissibile.
Irremissibile.
5.
Affectatum,
Fortuitum.
6.
Per se.
Per accidens.

F, Provi-

TABULÆ.



G, Afflictio


Castigatio.
Pœna, eáq; est vel
Vindicta divina, quæ est
1.
Spiritualis, eáq; vel
Subtractio gratiæ.
Induratio.
Corporalis.
2.
Temporalis.
Æterna.
G.
Afflictio est vel
Tentatio, éaque vel
Interna tum
Animi angustia.
Spiritus & carnis inclita.
Externa.
Crux, quæ est vel
Martyrium, quod est
Cruentum.
Incruentum
H. Particu-


II. Particularia opera specialis providentiæ Dei sunt
Patefactio Dei supernaturalis, cujus duæ partes:
Prædictio rerum futurarum, eáq;
Revelatio doctrinæ, tum
Legis; Vide I.
Euangelii de Christo, Vide K.
1. Est vel
Iuramento Dei munita
Nuda.
2. Est vel
Pura, ut vaticinium.
Conditionalis, eáq; est vel
Promissio
1
Spiritualis.
Corporalis.
2
Legalis
Euangelica.
Comminatio
Spiritualis.
Corporalis.
Vocatio, eáque vel
Ad Christum, quæ est tum
Externa, eáq; vel
Efficax.
Inefficax.
Interna.
Ad munus aliquod.
Fœdus divinum, Vide N.
Signum divinum, Vide S.

I. Lex


Generalis.
1.
Specialis.
1. Lex est
2.
Perpetua, id Lex moralis: Legi moralis
Certi temporis, ut Lex
Summa comprehenditur Decalogo, cujus duæ tabulæ:
Prima de cultu Dei præcipiens, continet 4. præcepta, quorum
Secunda de virtute præcipiens, continet 6. præcepta, ideo
1. Prohibet idololatriam internam.
2. Prohibet ex internam idololatriã in imaginum tum
Fabrica.
Cultu
3. Prohibet vanã usurpationẽ nominis divini.
4. Præcipit sanctificationem Sabbathi.
5. Præcipit præstationem honoris superioribus debiti.
6. Prohibet homicidium internum & externum.
7. Prohibet omnem impuritatem animi & corporis.
8. Prohibet furtum.
9. Prohibet falsum testimonium.
10. Prohibet etiam minimam cupiditatem & cogitationem legi Dei repugnantem.
Usus sunt duplices
Communes tres.
Proprii vel
Electis sex.
Reprobis tres.
Forensis.
Cæremonialis.


K. CHRISTI cognitio duas habet partes:
1. De persona, cujus cognitio duas habet partes:
1. De naturis, quarum sunt duæ:
Divina.
Humana.
2. De statu personæ, qui est duplex: vel
Humiliatio, cujus partes sunt,
Incarnatio, Vide literam L.
Obedientia tum in
Legis impletione.
Persolutione pœnæ pro nostris peccatis, cujus partes sunt,
Passio, tum
Statim à nativitate.
In vitæ extremo.
Mors.
Sepultura.
Descensus ad inferos.
Exaltatio, quæ complectitur
1.
Resurrectionem ex mortuis.
Conversationem 40. dierum in his terris post resurrectionem.
2.
Ascensionem in cælum.
Sessionem ad dexteram Dei Patris.
2. De officio Christi, Vide M.

PARTIT. I. PARTIS



M. Officium


M. Officium Christi est vel
Propheticum, cujus duæ sunt partes:
Rerum futurarum prædictio.
Doctrina, cujus duæ sunt partes:
Patefactio Evangelii.
Vera legis interpretatio.
Sacerdotale, cujus duæ sunt partes:
Expiatio peccati.
Intercessio apud Deũ, quæ fit dupliciter:
Merito.
Efficaciâ.
Regium, quod exercetur duobus modis:
1. Si Ecclesiam per se spectes, idq; dupliciter
1. Effundendo Spiritũ S. & cælestia dona in Ecclesiam.
2. Regendo Ecclesiam.
2. Si Ecclesiæ hostes spectes, idque tum
Liberando eam ab hostibus.
Debellando hostes.

N. Commu-





P. Regenerationis


P. Regenerationis
Partes regenerationis
Perpetua adjuncta duo
Spiritualis pugna.
Victoria Sanctorum.
Animæ, ejus partes sunt
Illuminatio, seu unctio Spiritus S. cujus duæ partes:
Sapientia spiritualis in mysterio fidei.
Prudentia spiritualis in actione bonorum operum.
Resipiscentia, cujus duæ partes
Mortificatio veteris hominis, cujus partes
Peccati
Agnitio & cõfessio, Vide Q.
Detestatio & odium.
Contritio salutaris.
Vivificatio novi hominis, cujus partes
Consolatio conscientiæ.
Gubernatio spiritualis.
Corporis, ejus partes sunt
Frenatio affectuum.
Rectio loco motivæ.

Q.
Confessio est vel
Privata, eáque fit vel
Soli Deo.
Homini alicui, eique vel
Ministro verbi.
Amico fideli.
Publica, quæ est vel
Totius Ecclesiæ.
Unius, aut
Plurium coram Ecclesia.

R.
Conservationis electorum in communione cũ Christo, partes sunt
Consolatio, quæ est vel
Communis in omni cruce.
Peculiaris adversus mortem.
Exauditio precum.
Defensio adversus hostes.
Liberatio è periculis, &
Perseverantiæ donum.

S. Signum


S. Signum divinum est vel
Naturale.
Miraculum.
Datum, idque vel
Sacramentum, idque est vel
Æterni fœderis, sum
Temporarii.
Operum, ut arbor
Vitæ.
Scientiæ boni & mali.
Gratiæ, cujus
Species, Vide T.
Partes sunt duæ:
Res terrena, quæ est signum rei cœlestis.
Actio externa, quæ est tum
Ministri Sacramentum administrätis, eáque duplex:
Sanctificatio rei terrenæ ad usum sacrum.
Exhibitio rei terrenæ.
Fidelis Sacramento utentis: duplex etiam,
Perceptio rei terrenæ.
Gratiarum actio.


Circumcisio.
Ordinarium duplex:
Pascha.
Veteris Testamenti vel
Ante institutionē ordinariorum, fuerunt sacrificia ab Adamo usque ad Abrahamum.
Extraordinarium duplex: nam
Baptismus nubis & maris.
Post institutionem ordinariū accesserunt
Cœna mannæ atque aquæ profluentis è petra.
T. Sacramēntum fœderis gratiæ est vel
Novi Testamenti, duplex:
Baptismus, Vide II.
Cœna Domini, Vide V.

II. Baptismi


Aqua Baptismi, qua significatur sanguis Christi in cruce effusus.
II. Baptismi partes sunt
Actio externa: eáque duplex.
Recitatio verborum institutionis Baptismi ad sanctificandam aquam.
Ministri Baptismum administrantis duplex:
Ablutio externa, quâ significatur & obsignatur ablutio interna: illa fit à ministro foris aquâ: hæc fit à Christo intus ipsius sanguine.
Fidelis Baptismo utentis, etiam duplex:
Acceptio Baptismi, seu ablutionis externæ, quæ interioris est pignus. Illa percipitur corpore, hæc fide.
Gratiarum actio.

V. Cœnę Domini partes sunt

- Res terrena duplex:
  - Panis *fractus, qui est corpus Christi fractum seu crucifixum, spirituali significatione.*
  - Vinum *effusum, quod est sanguis Christi effusus, eadem spirituali significatione: útque panis & vinum revera adsunt, ita etiam adsunt revera corpus & sanguis Christi: illa quidem corporaliter: hæc verò spiritualiter.*
- Actio externa, alia
  - Ministri *Cœnam Domini administrantis, eáq; duplex:*
    - Recitatio *verborum institutionis ad cõsecrandas res terrenas, ut mutatione non physica, sed sacramentali, ex vulgaribus & prophanis rebus fiant sacra symbola corporis & sanguinis Christi.*
    - Exhibitio *panis et vini, quâ significatur & nobis obsignatur, quòd tã certò Christus nobis det suum corpus & sanguinem: quàm certò videmus panem & vinum à Ministro verbi nobis exhiberi.*
  - Fidelis *sacra Cœna utentis: eáque etiam duplex:*
    - Perceptio *panis & vini, quâ significatur, & obsignatur perceptio corporis & sanguinis Christi, id est, cõmunio Christi & omnium beneficiorum ipsius.*
    - Gratiarum *actio.*


At priùs quàm fidelis ad sacram Cœnam accedat, præcedere debet præparatio, tum
Præcipuè interna, seu spiritualis, quę est exploratio, vel
Dignitatis, quæ est vel
Personæ, nempe vera fides, quam quicunque habent, sumunt hanc escam ad salutem æternam.
Tractationis, nempe vera cordis reverentia, discernens corpus Domini.
Indignitatis, quæ est vel
Personæ, nempe infidelitas, quâ laborantes sumunt sibi judicium æternum.
Tractationis, eáq; est vel in
Piis veræ reverentiæ, vel
Negligentia.
Frigiditas.
Impiis veræ reverentiæ absentia & privatio.
Externa, seu corporalis, quæ fit tum
Audiendo præparatoriam concionem de Cœna Domini.
Iejunando & cõformando externos gestus ad veram & decentem gravitatem.

X. Opera *Dei, quæ fient post hanc vitam sunt*

- Resuscitatio *mortuorum universalis.*
- Iudicium *universale: cujus duæ partes;*
  - Separatio *electorũ à reprobis.*
    - Sententia, *eáque duplex: altera de*
      - Electorum
        - Introductione *ad possessionem æternæ hæreditatis & beatitudinis.*
        - Glorificatione, *tum quò ad*
          - Animam *plena cognitione mysteriorum Dei: & immutabili rectitudine voluntatis.*
          - Corpus, *quod redditur spirituale, hoc est, quod spiritualem & omni carnis labe liberam & solutam vitam deget, qualem spiritus ipsi degunt: deinde incorruptibile, immortale, denique conforme corpori Christi glorioso.*
      - Reproborum *damnatione.*


Y. Ecclesia est vel
Vera, eáque est vel
Universalis, seu Catholica, quæ una tantùm est, ejúsque
Caput solus Christus.
Membra, tantùm electi.
Particularis, cujus
Notæ, quòd sit vera Christi Ecclesia, sunt duæ:
1. Pura verbi Dei prædicatio.
2. Legitimus usus sacramentorum.
Species, Ecclesia Testamenti, ium
Veteris,
Novi,
Utriusque disciplina est vel
Propria, quæ pertinet ad officia singularum personarũ, quæ sunt vel
Ministri. Vide Z.
Auditores.
Communis, quæ conspicitur in Concilio vel
Universali, seu generali.
Particulari, seu nationali.
Falsa, vide ſ.

Z. Ministri



α. Pastoralis muneris duæ sunt partes:

TABULÆ.


α. Pastoralis muneris duæ sunt partes:
Ministerium Ecclesiasticum, cujus partes sunt,
Applicatio verbi usibus Ecclesiæ, idque tum
Publicè.
Privatim.
Administratio Sacramentorum.
Potestas Ecclesiastica, quæ est vel
Ordinis, idque tūm in
Legitima Ministrorum vocatione, cujus partes sunt,
Examen in
Doctrinæ.
Vitæ.
Ordinatio.
Legibus Ecclesiasticis ferendis.
Iurisdictionis, cujus partes sunt,
Censura.
Potestas clavium, cujus
Partes sunt
Solutio.
Ligatio.
Usurpatio in
Prædicatione verbi.
Disciplina Ecclesiastica, Vide β.
β. Disciplinæ

β. Disciplinæ *Ecclesiasticæ sunt duæ partes:*

- Pœna *Ecclesiastica, eáq; est vel*
  - Levior, *nempe objurgatio.*
  - Gravior, *eáq; vel*
    - Suspensio.
    - Excommunicatio, *quæ fit vel propter*
      - Hæresim.
      - Manifesta scelera.
- Absolutio, *quæ est vel*
  - Privata.
  - Publica.

γ. Adjutores *Episcoporum sunt vel*

- Gubernatores *Ecclesiastici, seu Presbyteri.*
- Curatores *Ecclesiastici, iique sunt vel*
  - Diaconi, *qui bona Ecclesiastica in quatuor partes dividunt:*
    1. Alendis *Ministris Ecclesiæ.*
    2. Pauperibus.
    3. Tuendo *ædificio Templi.*
    4. Pauperibus *advenis, & captivis fratribus.*
  - Diaconissæ.

TABULÆ.



Hactenus

Hactenus fuerunt tabulæ primæ partis verbi DEI : sequuntur *tabulæ secundæ partis de* BONIS OPERIBUS.



ζ. Cultus


Propria Deitatis λατρεία.
Consideratio duplex, vel tanquam
ἀξίωμα Mediatoris proprium.
Precatio, cujus
Formula omnium optima, est Oratio Dominica, Vide ».
Invocatio Dei, quæ est vel
Contestatio.
Iuramentum cujus partes
Imprecatio.
2.
Cultus Dei internus simul & externus est
Approbatio operum Dei.
Gratiarum actio, cujus duæ sunt partes:
Admiratio operū Dei.
Celebratio Dei: cui conjuncta
Recta eorum æstimatio.
Confessio fidei facta vel
Voce.
Martyrio.
Observatio rituum Ecclesiasticorum, Vide 3.

Orationis

- 1. Exordiũ, *cujus duæ partes:*
  - 1. Quem *invocemus, nempe Deum patrem nostrum.*
  - 2. Declaratio *verborum, Qui es in cœlis.*
- 2. Petitiones, *quarum tres*
  - Priores *pertinent ad gloriã Dei: quibus petimus*
    - 1. Sanctificationem *nominis divini, tum*
      - Verâ *fide.*
      - Bonis *operibus.*
    - 2. Adventum *regni Dei, qui est vel ad totam Ecclesiam, tum vel ad singulos fideles*
      - Conservando *eam & augendo.*
      - Destrucdo *Ecclesiam Diaboli.*
    - 3. Promptitudinem *obediendi Deo exemplo Angelorum.*
  - Posteriores *pertinent ad nostram necessitatem, quibus petimus*
    - 4. Sustentationem *hujus temporalis vitæ.*
    - 5. Remissionem *peccatorum, seu justificationem propter Christum.*
    - 6. Sanctificationẽ, *seu regenerationem, idque tum*
      - Inchoatam, *quæ variis tentationibus est obnoxia.*
      - Perfectam, *cum liberi erimus ab omni malo.*
- 3. Confirmatio *continens tria argumenta fidem nostram confirmantia de certitudine exauditionis. Ex iis*
  - Duo *sunt ducta ab adjunctis Dei, quia Rex, & quia potẽs.*
  - Tertium *à fine exauditionis, ut glorificetur.*
- 4. Epilogus AMEN, *éstque tum*
  - Votum, *ut ratæ sint preces.*
  - Nota *fiduciæ de precibus verè exauditis.*

1. Orationis Dominicæ sunt 4. partes.


3. Ritus Ecclesiasticus est vel
Cõmunis veteris & novi Testamenti, ut
Celebratio, seu sanctificatio diei festi, quæ fit
Audiendo & meditando verbum Dei.
Precibus solẽnibus.
Sacramenta administrando.
Ieiunium.
Votum.
Proprius alterius Testamenti
Veteris, ut
Publicus, itaque
Sacrificia vel
Expiatoria,
Propitiatorium.
Redimentia, qualia erant sacrificium pro
Peccato.
Delicto.
Eucharistica, qualia erant
Libatio.
Hostia pacificorum.
Sacrificiũ laudis.
Observatio temporum sacrorum, Vide 1.
Privatus, ut
Purificatio multiplex.
Discrimen ciborum.
Novi, nempe observatio dierũ festorum novi Testamenti, quorũ est alius
Hebdomadarius, nempe dies Dominicus.
Anniversarius, ut festum
Nativitatis
Circumcisionis
Passionis
Resurrectionis
Ascẽsionis
Christi.
Pentecostes, seu missionis Spiritus Sancti.


1.
Tempora sacra in veteri Testamento erant tum
Dies, vel
Quotidiani, quibus juge sacrificium offerebatur.
Septimi quique, quibus Sabbathum observabatur.
Calendæ, quibus Neomeniæ celebrabantur.
Anni, quibus celebrabantur solennitates, vel
Anniversariæ institutæ vel
Ab ipso Deo, etiq; vel
Magnæ
Paſcha.
Pentecoſte.
Scenopegia.
Mino-res, ut feſtum
Tubarũ.
Expiationum.
A Iudęis, ut
Purim.
Encænia.
Poſt plures annos recurrentes ut
Sabbathum terræ, ſeptimo quoque anno recurrens.
Annus Iubilæus, quinquageſimo quoq; anno recurrens.

x. Virtus


κ.
Virtus refertur vel
Ad nos ipsos, ut
Cupiditas sapientiæ.
καλοκἀγαθία.
Fortitudo, quæ est
1.
Heroica, vel
Vulgaris.
2.
Togata, vel
Bellica.
3.
Æquanimitas, vel
Magnanimitas.
Temperantia, Vide λ.
Studium veræ gloriæ.
Ad alios, Vide μ.


λ.
Temperantia est vel
Continentia, cujus species sunt
Sobrietas.
Vigilantia.
Castitas.
Pudicitia.
Parsimonia.

- Virtus erga alios est
  - Humanitas.
    - Civilitas, cujus species sunt
      - Verecundia.
      - Gravitas, eáque vel in
        - Sermone
          - Rectus *usus linguæ.*
          - Taciturnitas.
        - Vestitu.
        - Gestibus.
      - Elegantia *morum.*
      - Mundities *cultus.*
    - Frenatio *inordinatorum motuum animi, Vide* ν.
    - Charitas *Christiana,* cujus species sunt
      - Liberalitas, *Vide* ξ.
      - Amicitia, *quæ est vel*
        - Publica, *nempe Tax.*
        - Privata.
      - Sympathia *mutua, eáq; vel erga*
        - Vivos, *tum*
          - Commiseratio.
          - Congratulatio.
        - Mortuos, *tum*
          - Luctus.
          - Sepeliendi *cura.*
      - Procuratio *boni aliorum, sive spectes*
        - Bonam *famam.*
        - Alia *vitæ commoda.*
    - Iustitia, *Vide* o.

TABULÆ.

v.

Frenatio in *ordinatorum motuum animi est vel*

- Superbiæ *frenatio, cujus species*
  - Modestia.
  - Summissio.
  - Docilitas.
- Iræ *frenatio, cujus species sunt*
  - Studium *concordiæ.*
  - Mansuetudo.
  - Longanimitas.
  - Placabilitas.
- Cupiditatis *frenatio, sive*
  - Opum, *quæ dicitur* αὐτάρκεια.
  - Honorum.

ϛ. Liberalitas *consistit tum in*

- Communicatione, *vel*
  - Consiliorum *& doctrinæ.*
  - Opum
    - Eleemosyna.
    - Munificentia, *vel*
      - Mediocris.
      - Magnifica, *eáque vel*
        - Publica *ad usus vel*
          - Sacros.
          - Politicos.
        - Privata.
- Officiositate, *quæ est vel*
  - Gratificatio.
  - Hospitalitas.


Admonitione.
Universalis, quæ exercetur vel
Precatione pro aliis.
Legitima officii adeptio, & proprii officii cura.
propria vocatione, tum
Sedulitas.
Fidelitas.
Iustitia est vel
Privata, vel in
Societate, justitia, vel
Distributiva, Vide π.
Commutativa.
Particularis vel
Promulgatione.
Togata in legum
Publica, Magistratus publici: eáq; est vel
Executione.
Bellica, in belli administratione.

π. Iustitia


Sanctitate conjugii, Vide 1.
Oeconomica in
Dispensatione rei familiaris, in officiorum
Dominorum.
Servorum.
π.
Iustitia distributiva est vel
Politica, eáque debetur vel
Quibusvis
Veracitas.
Sinceritas.
Fides.
Candor.
Observantia.
Certis, ut
Gratitudo erga benefactores, vel
Animi.
Facti.
Subjectio erga magistratũ consistens in
Obedientia erga leges.
Publicorum onerum portatione.


Error, Vide ó.
Sponsi & sponsæ: à quorum iŭ consensu abesse debet tum
Coactio.
Parentum, qui requiritur de necessitate.
De consensu, tum
Superiorŭ consensus qui est vel
Tutorum, is non requiritur de necessitate.
Legitima conjugum desponsatione, adhibitis idoneis testibus quæ possint testari tum
Consentire possint pacto.
Ob ætatem per quam tum
Rem familiarem administrare.
Desponsatio igitur impuberŭ, potest dissolvi, cùm deinde voluntas puberum non accedit.
Quòd personæ sint idoneæ,
Spadones sint.
Potentia procreandæ sobolis, nempe ut non vel
Naturā læsam habeant veneficio.
Ut possint conjungi vel ex
Lege naturæ, Vide τ.
2. Conjugii sanctitas consistit tum in
Officiis conjugii, Vide χ.

σ. Error


Personæ, cùm dolus intervenit de homine. Propter hunc errorem possunt dissolvi sponsalia & conjugium.
Rei familiaris, ut si qua putet sponsum esse divitem, aut nobilem, aut non habere liberos. Propter talem errorem non dissolvuntur sponsalia & conjugium.
Error in cõtrahendo conjugio est vel
Fortunæ, pertinentis vel ad stirpem
Mosis, quæ jubet lapidibus obrui compressam antè ab alio.
Primùm tentanda reconciliatio.
Castitatis alterius personæ. In tali errore est alia sententia
Si autem reconciliatio non procedit, fiat divortium.
Usitati juris, idq; vel
Ante concubitum, ubi
Post concubitum factum: ubi pronũciatur, ut sponsus retineat compressam.



v. Supputatio

v.
Supputatio *graduum eſt duplex: alia in linea*

- Recta: *in qua tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, dempta ſtirpe, à qua inchoanda eſt ſupputatio.*
- Collaterali, *eá que vel in linea*
  - Æquali, *in qua quot gradibus diſtat altera perſona à communi ſtirpe, tot gradibus inter ſe diſtant.*
  - Inæquali, *in qua quot gradibus remotior diſtat à ſtirpe, tot gradibus inter ſe diſtant.*

Prohibitio cõjugii *alia eſt in linea*

- Recta, *in qua omnes tum aſcendentes, tum deſcendentes prohibentur à mutuis connubiis.*
- Collaterali, *eá que vel in linea*
  - Æquali, *in qua jure divino conceſſum erat conjugium in ſecundo gradu: at nunc jure humano prohibita ſunt intra quartum gradum.*
  - Inæquali, *in qua prohibita ſunt conjugia jure divino in ſecundo gradu.*


Zelotypiæ.
Communis utriusque conjugis: idq; ne præbeant causã vel
Divortii, Vide ♱.
Iustitia cõjugali, quæ est vel
Mariti.
Alterius conjugis propria, idque vel
Uxoris.
♈
Conjugii officia versantur tũ in
Parentum.
Reverentiam.
Erga parentes, quibus debent honorem, qui comprehendit
Obedientiam.
Beneficentiam.
Erga parentes.
Educatione liberorum, quæ officia complectitur tũ
Liberorum, idque vel
Inter se, ut sint concordes, & se mutuò juvent.
♱. Divortii

- ♃. Divortii
  - Causæ *sunt tantùm duæ:*
    - Adulterium.
    - Desertio.
  - Iudicium *duo comprehendit: ea sunt*
    - Modus *procedendi, cujus partes sunt*
      - Legitima *cognitio judicum, tum in*
        - Causa *adulterii, ut sufficienter probata sit accusatio & persona rea convicta.*
        - Casu *desertionis, ut exploretur an persona verè deserta sit, an verò altera absit, vel*
          - Officii *causa, ut legatus vel miles legitimè delectus.*
          - Negotii *alicujus causâ, ut in mercatu, &c.*
          - Pœnæ *causâ captivus, aut deportatus, si nõ accessit tale scelus, quo alioqui conjugium dissolveretur.*
      - Tentatio *reconciliationis, idque in causa*
        - Adulterii *coràm.*
        - Desertionis *per citationem personæ desertricis.*
      - Pronunciatio *sententiæ, quâ liberatur altera persona à conjugio, si non processit reconciliatio.*
    - Tempus, *Vide* ∞.

∞. Tempus

ω.
Tempus *post quod personæ innocenti possit aliud conjugium concedi: idq; in casu*

- Adulterii *non præscribitur, si res est judicata.*
- Desertionis *præscribitur, dum certò constet personam desertricem vel mortuam esse: vel adulterio conjugium dissolvisse: vel post citationem comparere noluisse.*

Tabula Consanguinitatis.

CONSANGUINEI alii sunt in linea

- Recta, *ut*
  - 6. Majores *quicunque.*
  - 5. Tritavus *paternus & maternus.*
    Tritavia *paterna & materna.*
  - 4. Atavus *p. & m.*
    Atavia *p. & m.*
  - 3. Abavus *p. & m.*
    Abavia *p. & m.*
  - 2. Proavus *p. & m.*
    Proavia *p. & m.*
  - 1. Avus *p. & m.*
    Avia *p. & m.*

  Hi *ascendentes dicuntur.*

  STIRPS. PATER & MATER.

  - 1. Filius & Filia.
  - 2. Nepos & Neptis.
  - 3. Pronepos & Proneptis.
  - 4. Abnepos & Abneptis.
  - 5. Atnepos & Atneptis.
  - 6. Trinepos *et* Trineptis.
  - 7. Posteri *quicunque.*

  Hi *descendentes dicuntur.*
- Collaterali, *Vide*)(.

)(Collaterali,

TABULÆ.

Collaterali, eáq; vel

Æquali, ut

1. Fratres & Sorores.
2. Patrueles.
3. Consobrini & Consobrinæ.
4. Sobrini & Sobrinæ.

Inæquali,

4. Patruus *maximus*, Amita *maxima*: & Avunculus *maximus*, Matertera maxima.
3. Propatruus, Proamita: Proavunculus, Promatertera.
2. Patruus *magnus*, Amita *magna*: Avunculus *magnus*, Matertera *magna*.
1. Patruus, Amita, Avunculus, Matertera.

Hi *superiores dicuntur.*

Et *horum omnium liberi, iique inferiores dicuntur.*

Linea

[illegible] *& liberorum, & ab his prognatorum.* [illegible] *à parentibus liberi directè descendunt, & à liberis rursus directè ad parentes ascenditur.*

Linea collateralis, *est fratrum & sororum, patruorum & amitarum, avunculorum & materterarum, &c.*

Patrueles, *sunt duorum fratrum liberi.*

Consobrini, *vel* Consobrinæ, *sunt duarum sororum liberi.*

Sobrini, *vel* Sobrinæ, *sunt consobrinorum liberi.*

Amitini & Amitinæ, *sunt fratris & sororis liberi.*

Patruus *magnus, est avi frater.*

Amita *magna, est avi soror.*

Avunculus *magnus, est aviæ frater.*

Matertera *magna, est aviæ soror.*

Patruus, *est patris frater.*

Amita, *est patris soror.*

Avunculus, *est matris frater.*

Matertera, *est matris soror.*

Tabula affinitatis.

Affines *sunt,*
1. Socer & Gener.
2. Socrus & Nurus.
3. Vitricus & Privignus, *seu* Privigna.
4. Noverca & Privignus, *seu* Privigna.
5. Levir & Glos.

Sororius & Fratria.

AFFINES *sunt propinqui alterius conjugis propter personæ illis consanguinitate junctæ cum hoc contractum conjugium.*

Socer, *est uxoris pater.*

Gener, *est filiæ maritus.*

Socrus, *est uxoris mater.*

Nurus, *est filii uxor.*

Vitricus, *est matris maritus.*

Noverca, *est patris uxor.*

Privignus, *est mariti vel uxoris filius.*

Privigna, *est mariti vel uxoris filia.*

Levir, *est mariti frater.*

Glos, *est mariti soror.*

Sororius, *est sororis maritus.*

Fratria, *est fratris uxor.*

TABULARUM FINIS.